π - 57. CEL A I/45.

(2nd ed) Plates

Eng title
Portrait
5 folding plates
22 full page illus
5 textual [illegible] 45.

Collated [illegible]

Пожертвована
въ 1885 г. проф.
Н. С. Тихонр.
Р.

1/8
15б
Antiq

IV/2


CASP. BARTHOLINUS
DE
TIBIIS VETERUM
AMSTELÆDAMI
Sumptibus Henr: Wetſtenii
cIↄ Iↄ c LXXIX.

21


CASP. BARTHOLINI
THOM. FIL.

De TIBIIS VETERUM, ET EARUM ANTIQUO USU LIBRI TRES.

ИБ

Editio altera, figuris auctior.

I.A.ZALVSKI



AMSTELÆDAMI,
Apud JHENR. WETSTENIUM,
CIↃ IↃCLXXIX.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
CARDINALI
SIGISMUNDO CHIGI

CASPARUS BARTHOLINUS Felicitatem.

IN Antiquitate indagagnda haudquaquam par labori gloria Scriptorem ſequitur. Etenim de rebus à noſtra memoria remotis, quæ fugitivo ævo ſe tacitè ſubduxerunt, commentari, diverſa ab aliis artibus lege conſtat, in quibus proprium valet arbitrium & ſuo cuilibet modo

 eva-

evagari licet. In Antiquitate adornanda tenor quidam obſervandus eſt, non tam libero & ſibi relicto calamo, quàm multiſcio & vetuſtati innixo. Præterea ad hunc ſcribendi laborem etiam rerum reperiundarum difficultas accedit, cum plerumque veluti in alta nocte lateant Antiquitatum veſtigia, & ſi quæ nondum periêre, in mutis librorum latibulis ſepulta jaceant, vel ex tritis marmorum ruderibus ad lucem novam revocanda. Ita huic laborum generi non merita contingit gloria, cum in illo nihil noſtrum ſit præter meram explicationem rerum, quæ jam demum in lucem tanquam novæ protrahuntur, cùm tamen ipſis, qui ſe προσελήνους jactabant, Arcadibus interdum antiquiores ſint. Earum rectam & veritati omnimodo

con-

conformem expoſitionem invenire haud facile eſt, omnibus tamen placere longè difficilius. Nam cum ſua cuilibet mens ſit, ad cujus judicium cuncta examinant, ſi quid illorum opinioni præjudicatæ conforme affertur, laudant; contra, ſi ab ea recedatur, ignorantia atque errore factum exiſtimant. Nihiloſeciùs omni ævo Antiquitatis non fuit cura poſtrema. Res multis retrò ſeculis obſoletas à vetuſtatis oblivione & ignobili morte vindicare, & ſuos invenit cultores, & Fautores habuit atque Protectores. Inter illos me, ſed omnium minimum, profiteor, qui ad Antiquitatem haud exiguo ſemper ſtudio & amore ductus ſum. Inter hos, nempe ejus Patronos ac Protectores, Te primo loco numerarem, *Eminentiſſime Princeps*,

 niſi

niſi jam tum ſimul & reliqua quæ ſciri poſſunt, capaci pectore amplexus eſſes, & ad omnes ſcientiarum terminos ex Eminentiſſimo faſtigio animum cœleſtem demiſiſſes. Ut quicquid illæ ſolidi habeant, id ex aureo & purpureo ore Tuo hauriri poſſit. Nam ut alia omittam, magnum ſanè amoris Tui in Naturale ſtudium, & favoris in me documentum hoc interpretor, quod in Eminentiſſima & florentiſſima Aula Tua non ſemel locum mihi indigno dederis, & admiſeris jam partem Anatomes demonſtrantem, jam novas circa eandem aliorum & proprias obſervationes referentem audiveris. Nec Antiquitatis indaginem diſplicere intellexi. Unde quemadmodum Græci Veteres ad Cynoſargen, & Pſylli partus ſuos ſerpenti-

pentibus dijudicandos obtulerunt, ita ego fœtum hunc meum ad limbum Purpuræ Tuæ in humo ſtatutum depono, ex veteri Romanorum ritu, viſurus, veluti Aquila dubios natos ad Solem examinat, an partus hic illos Tuos Solares radios ferre poſſit, & humo tolli atque ſuſpici dignus ſit. Prima hæc fœtus mei ſupra terram conſtitutio, non Statinæ Deæ, ut apud Gentiles olim, ſed Tibi, *Eminentiſſime Princeps*, ſacra erit, nec aliam cum Ethnicis Levanam Deam & παιδοτροφίαν advoco, quæ humo tollet. Natalis dies Libri mei hodie eſt, Luſtricus erit, ubi Tu illum ſuſceperis & nomen ab Eminentiſſimo Nomine Tuo acceperit. Ita mihi hunc ingenii mei partum tollendi, cum pauperibus olim educandis, ex *Plinio*,

una ratio erit, *Bonus Princeps*, qui ſui fiducia procreatos augeat, foveat, amplectatur. Et Tibi iiſdem verbis acclamabo, quibus *Plinius* Trajano ſuo: *Super omnia eſt, quod talis es Trajane, ut ſub Te liberos tollere libeat, expediat.*

Vale, qui inter Purpuratos Patres emines, *Eminentiſſime Princeps*, Senatus Romani non ultimum decus, & diu, antiqua & celeberrima ſtirpe tot virtutibus digniſſime, perenna.

Romæ Kal. Februar. M. DC. LXXVII.

CAS-

CASPARUS BARTHOLINUS
THOM. FIL.

LECTORI SUO S.

SI ad genium ſeculi currentis calamus inſtruendus eſſet, & ea ſolùm afferenda, quæ publico palato ſapiunt, jure, fateor, vilis hic meus cenſebitur labor. Is enim eſt tempore noſtro laborum delectus, ut qui paulo diligentius in Antiquitatem inquiſivit, operam quaſi perdidiſſe videatur, cum Nova magis jam placeant, experimentis novis in lucem protracta, antea ignota. Nec ex horum numero me eſſe diffitebor, qui antiquos ex Naturæ latebris errores novis & veris experimentis proſcribere nituntur; quanquam etiam haud raro ad illorum partes tranſierim, qui Antiquitatis multifariam eruditionem novis ſtudiis & laboribus illuſtrant. Ego ſanè in hoc foro tacuiſſem potiùs, nec cum his lucubrationibus jam Romæ prodiiſſem, niſi ad id compulſus fuiſſem à Clariſſimo Amico Franciſco Nazario *Viro omnibus notiſſimo ob omnigenam eruditionem, quam etiam ejus publicæ Ephe-*

merides Literaturum hic indies loquuntur, tantam librorum cujuſcunque ſcientiæ & linguæ varietatem tamque diſtinctam notitiam complectentes, ut ſingularia eorundem quæ ipſe laborioſe ſolus perſtringit, clarius & ſolidius ab ipſis ſeorſim auctoribus haberi nequeant. Illi poſtquam communicaveram ea, quæ de Tibiis Veterum & earum Antiquo uſu, ex utriuſque linguæ Auctoribus frequenti lectione opera non tranſlaticia adnotaveram, Romano prælo non indigna judicavit, & protinus me ſimul atque Typographum in vota ſua faciles habuit. Non enim exigua hæc antiquitatis pars eſt ad quam ſic ſatis multa pertinere præſens Volumen oſtendit. Feci verò ut ſolent peregrinantes, qui non promiſcuè quæcunque oculis ſubjiciuntur, ſed elegantiora quædam admirantes condunt, reponuntque in memoriam. Ita ego quæ de hac materia, latè diſperſis Auctorum variorum monumentis involuta habere potui, cum delectu & juſti ordinis neceſſaria ratione congeſſi. Subtilem verborum ſingulorum criſin, nonnullis nimis familiarem, ſponte ſubterfugi, nec

præ-

præter rem & modum in alios ſedulus, eos imitari ſtudui, qui cenſoria virgula ſuperbientes ſuis obeliſcis omnes confodiunt, & reliquos præ ſe contemnunt. Mihi certè omnes applaudentes nec habiturus ſum, nec opto, acquieſcam ſi bonorum conſenſum meruerim. Hippomachus Tibicen, apud Ælianum, *diſcipulo ſuo cum aberraret ab arte inter canendum, & nihilominus plauſum auditorum aſſequeretur, feriens eum baculo, dixit*, Perperam ceciniſti, nam aliàs hi tibi non applauderent. *Scilicet haud difficile eſt, communem populi auram captare; at non omnibus datum eſt ab iis ſolùm approbari, qui rectum judicium ferre poſſunt. Ita felicius, ex monitu* Fabii, *procedunt artes, ſi ſoli artifices de ipſis judicant. Nec ſanè alii in judicium admittendi ſunt, quam qui incorruptè judicare, vel norunt, vel velint. Rectè Cajus Lucillius olim dixit, neque ſe ab indoctiſſimis neque doctiſſimis legi velle, quod illi nihil intelligerent, hi plus fortaſſe quàm ipſe. Tu Lector, qui me plus ſapis, Vale & indulge.*

J. HENR.

JHENR. WETSTENIUS

LECTORI.

NOvam hanc Tractatus de Tibiis veterum editionem juxta exemplar ante biennium Romæ impreſſum adornavimus; cujus ſphalmatis emendatis ne nova irreperent cavimus; ſuis etiam locis inſeruimus addenda in calce adjecta. Idem præſtitimus in figuris, quæ non ſolùm elegantiores, ſed & numero duplo auctiores exhibentur. Si Tibi operam noſtram minùs ingratam fore viderimus, eo ipſo incitabimur ad edendum non tantùm plura hujus generis, ſed & alia hujus Autoris, qui etiam Tractatum *de Novis Inventis Anatomicis* noſtrâ curâ divulgandum promittit.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAP. I. De Tibia, ad quam Muſices partem apud Veteres pertinebat. Pag. 1
II. Nominis Tibiæ origo & Synonyma. 9
III. De Inventoribus Tibiarum. 14
IV. De Materia Tibiarum. 25
V. Tibiarum Forma, earumque Partes. 41
VI. Tibiarum ſpecies & varia diſcrimina. 63
VII. De Arte Tibias inflandi. 92
VIII. Tibiarum ſonus. 104
IX. De Modis Numeriſque Tibiarum. 115
X. A quibus ars Tibias inflandi exercita & apud quos in uſu. 127

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. Tibiarum vis ad variè afficiendos animos, eoſque vel concitandos vel molliendos. 139
II. Tibiæ uſus in Curatione Morborum. 158
III. Tibia in Regum Inauguratione. 67
IV. Tibia in Triumphis, 169

V. Ti-

V. Tibia in Bello. 171
VI. Tibia in Hymnis & Deorum placationibus apud Paganos. 177
VII. Tibia in Sacris & Sacrificiis Gentilium. 180
VIII. Tibia in Sacris Magnæ Deum Matris. 199
IX. Tibia in Feſtis Publicis. 206
X. Tibia in Ludis, ſpectaculis, atque Comœdiis. 211
XI. Tibia in Saltatione Pantomimi, Ludii, aliorumque. 221
XII. Tibia in Nuptiis & Choreis. 229
XIII. Tibia in Conviviis. 242
XIV. Ad Tibiam factæ Conciones ad populum, Carmina recitata, atque Heroum laudes in conviviis & funeribus decantatæ. 256
XV. Tibia in Funeribus & Luctu. 267
XVI. Tibia Nautica. 286
XVII. Tibiarum vis ad commovenda Bruta Animalia. 291
XVIII. De Tibiis Mira quædam ab Antiquis tradita, naturali ratione explicata. 300
XIX. De Aſſa Tibia, ejuſque cum aliis inſtrumentis conſonantia, Symphonia. 307

LIBRI TERTII.

CAP. I. De Tibicinibus. 313
II. Marſyæ Tibicinis Fabula. 335

III. De

III. De Rebus quibus uſi Tibicines, Anulo, Tibiarum & lingularum theca, atque Capiſtro. 342
IV. De Veſtitu Tibicinum & Scabello. 356
V. Tibiarum Fabri. 367
VI. De Tibiarum à reliquis inſtrumentis, quæ oris flatu animantur, differentia. Et primò de Fiſtula atque Pandurio. 369
VII. De Tuba, Concha, Buccina, Cornu, Tibia utriculari & Pithaulica, organo, & hydraule. Eorumque omnium & Tibiæ diſcrimine. 388

A U-

AUTHORES

Qui in Opere citantur, nominantur & illuſtrantur.

Achilles Tatius Acron.
Paul. Ægineta.
Ælianus.
Æſchylus.
Alexander ab Alexandro.
Ambroſius.
Ammonius.
Car. Neap. Antipixes.
Alex. Aphrodiſæus.
Appianus Alexandrinus.
Apollodorus.
Apollonius Caryſtius.
Apollonius Citienſis, inter Veter. Chirurgos MS. in Bibliotheca Medicæa.
Apulejus.
Arcadius Grammaticus.
Aringhus.
Ariſtænetus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Joſua Arndus.
Arnobius.
Artemidorus.
Aſconius Pædianus.
Athenæus.
S. Auguſtinus.
Avienus.
Cæl. Aurelianus.
Auſonius.

B

R. Baba Metſia.
Barthius.
Thom. Bartholinus Pater.
Baſilius.
Bellonius.
Jo Petr. Bellorius.
Benjamin Tudelenſis.
Beroaldus.
Biblia Sacra.
Boethius.
Boiſſardus.
Boxhornius.
Brodæus.

Bulen-

Bulengerus.

C

Callimachus.
Calphurnius.
Capitolinus.
Carteſius.
Jo. Bapt. Caſalius.
Caſaubonus.
Caſſiodorus.
Catullus.
Cauſſinus.
Cenſorinus.
Chariſius Grammaticus.
Valer. Chimentellius.
Petr. Chryſologus.
Chryſoſtomus.
Chytræus.
Ciacconius.
Cicero.
Claudianus.
Coldingus.
Columella.
Cointus Smyrnæus.
Cornelius Nepos.
Giſb. Cuperus.
Curtius.
Cyprianus.

D

Dalecampius.
Dempſterus.
Diodorus Siculus.
Diomedes.
Donatus.
Bapt. Donius.

E

Ennius.
Epictetus.
Epigramm. Veter. Græc.
Erhardus.
Eugraphius.
Euripides.
Euſebius.
Euſtathius.

F

Felix Faber.
Petr. Faber.
Raphael Fabrettus.
Octav. Falconierius.
Favonius Eulogius.
Oct. Ferrarius.
Feſtus.
Jul. Firmicus.
Fulgentius.

G

Jac. Gaffarellus.
Galenus.
Jo. Galvanus.
Gellius.
Geſnerus.
Gloſſæ veteres.
Damian. à Goes.
Goltzius.
Gonzales.

Gotho-

Gothofredus.
Grevinus.
Gronovius.
Gruterus.
Gutherius.
Gyraldus.

H

Dionyſ. Halicarnaſſæus.
Heliodorus.
Heliodorus, inter Veteres Chirurg. MS. in Biblioth. Medic.
Heraclides.
Herodianus.
Herodotus.
Heſiodus.
Heſychius.
Hieronymus.
Hippocrates.
Homerus,
Horatius.
Horus Apollo.
Hyginus.

I

Jamblichus.
Joſephus.
Iſidorus.
Iſocrates.
Hadr. Junius.
Juvenalis.

K

Kircherus.
Kirchmannus.

L

Lactantius.
Dionyſ. Lambinus.
Lampridius.
Chriſtoph. Landinus.
Langius.
Petr. Laſena.
Conſtant. L'Empereur.
Fortun. Licetus.
Lightfootus.
Livius.
Dionyſ Longinus.
Lotichius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucillius.
Lucretius.
Luctatius Gramm.
Lycophron.

M

Macrobius.
Hier. Magius.
Antonius Magliabechius.
Manilius.
Mantuanus Poeta.
Manutius Paul. F.
Ammian. Marcellinus.
Marius Victorinus.

Mar-

Martialis.
Martianus Capella.
Maximus Tyrius.
Barthol. Mayerus.
Meibomius.
Merſennus.
Mercurialis.
Meurſius.
Anton. Mizaldus.
Muretus.

N

Nannius.
Franciſcus Nazarius.
Paul. Nolan.
Nonius Marcellus.
Nonnus.

O

Oppianus.
Oribaſius.
Ovidius.

P

Palladius.
Palmerius.
Pancirollus.
Panvinius.
Papias.
Paſchalius.
Paſſeratius.
Patritius.
Pauſanias.
Petronius.
Philoſtratus.
Phædrus.
Pineda.
Pighius.
Pignorius.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Politianus.
Pollux.
Polybius.
Porphyrius.
Priſcianus.
Propertius.
Prudentius.
Car. Anton. à Puteo.
Caſſianus à Puteo.
Junius Philargyrus.

Q

Quintilianus.

R

Paſcas. Ratbertus.
Rhodiginus.
Jo. Rhodius.
Rittershuſius.
Roſinus.
Rubenius.
Rufus Epheſius.

S

Salluſtius.
Salmaſius.

Salvia-

Salvianus.
Alexand. Sardus.
Saxo Grammat.
Fortun. Scacchius.
Scaliger.
Schefferus.
Schegkius.
Scholiaſtes Ariſtophanis.
Euripidis.
Horatii.
Juvenalis.
Pindari.
Gaſp. Schottus.
Scultetus.
Sedulius.
Seneca.
Seneca Tragicus.
Servius.
Sextus Empiricus.
Sidonius Apollinar.
Silius Italicus.
Smetius.
Solinus.
Sophocles.
Sorani MS. in Bibliotheca Medicæa.
Ælius Spartianus.
Jac. Spon.
Statius.
Stephanus.
Stobæus.
Strabo.
Stuckius.
Suetonius.
Suidas.
Sylvius Advocatus.

T

Tacitus.
Theocritus.
Theophraſtus.
Terentius.
Tertullianus.
Tibullus.
Tomaſinus.
Torrentius.
Trebellius Pollio.
Turnebus.
Jo. Tzetzes.

V

Varro.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Vegetius.
M. Velſerus.
Polyd. Vergilius.
S. Aurel. Victor.
Petr. Victorius.
Vitruvius.
Virgilius.
Flav. Vopiſcus.
Fulv. Urſinus.

X

Xenophon.
Xiphilinus.

CASP

CASP. BARTHOLINO

Patritio Hafnienſi

De Tibiis Veterum ſcribenti.

CUr vates meminere lyram ſuper aſtra locatam?
Scilicet hic melius Tibia veſtra foret.

Petrus Andreas Trincherius Varro-Nicænus.

Ad Eundem.

TIbiæ origo, ſonus, ſpecies, diſcrimen, & uſus,
Quæque fuit virtus, edocet iſte Liber.
Cit mentes, Pæana canit, flet funera, morbos
Depellit, placat numina, ſacrat hymen,
Regni aditum, menſaſque hilarat. Quæ non facit? omnis
Te Auctore eſt veteri, Gaſpare, Tibiæ honos.
Illam ut pœniteat ſe projeciſſe Minervam,
Et vereor poſita ſumat Apollo lyra.

N. F. A.



CASPARUS BARTHOLINUS
THOM. FIL. CASP. NEP.
A°. C. cIↃ IↃ cLXXVI. ÆT. XXII.

CASP. BARTHOLINI THOM. F. DE TIBIIS VETERUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Tibia *ad quam Muſices partem apud Veteres pertinebat.*

NON alte repetam regulas omnes Veterum muſicas, nec leges illas uſitatas ex antiquis Muſicorum Libris provocabo, id enim eſſet ex Ledæ ovo ordiri bellum Trojanum. Pauca de triplici Muſicæ genere præmittam, quam

in pulſu, voce, & flatu conſtare putabant. Muſicæ tria genera latè diſtinguit *Boëthius* de Muſic. lib. 1. c. 2. & primam quidem mundanam facit, ſecundam verò humanam, tertiam addit in quibuſdam conſtitutam inſtrumentis, ut in citharâ vel in Tibiis, cæteriſque quæ cantilenæ famulantur. Ultimam illam quam ad certa inſtrumenta reſtringit, partitur ſecundum diverſitatem adminiſtrationis, quæ modo fit intenſione, ut nervis, modo ſpiritu, ut Tibiis.

Mundanam illam Muſicam agnovit etiam *Pythagoras*, ut teſtatur *Maximus Tyrius*, qui illam ex doctrina Pythagoræ admittit, ſed diverſam ab ea quam perficiunt inſtrumenta, nimirum quod cœlum etiam circuitu ſuo modulationem edat, non autem pulſetur ut lyra, vel inflετur, ut tibia. Secunda illa Muſices ſpecies, quæ humana appellatur *Boëthio*, harmonica dicitur *Iſidoro*, cujus pars eſt κανονικὴ apud *Gellium* Libr. 16. Capit. 18. quæ longitu-

gitudines & altitudines vocis metitur, & eâ Muſici in fundamento artis ſuæ utuntur. De hac harmonica Muſices parte poſt *Merſennum* Harmon. Inſtrum. lib. 2. & *Kircherum* Muſurgiæ Univerſ. lib. 6. p. 3. atque varios Autores Muſicos veteres, in quos erudita multa congeſſit *Meibomius*, nolo latiùs evagari & poſt tot Homeros Iliada ſcribere, ne noctuas Athenas inferam.

Iſidori tantùm mentem audire libet de Muſica hac triplici, quæ vel ore, vel manu, vel ſpiritu editur. Ita ille Orig. lib. 2. cap. 18. *Ad omnem autem ſonum, qui materies cantilenarum eſt, triformem conſtat eſſe naturam. Prima eſt harmonica, quæ ex vocum cantibus conſtat. Secunda organica, quæ ex flatu. Tertia rhythmica, quæ impulſu digitorum numeros recipit. Nam aut voce editur ſonus, ſicut per fauces, aut flatu, ſicut per tubam vel Tibiam; aut impulſu, ſicut citharam: aut quodlibet aliud quod percutiendo ſonorum eſt.* Ab *Iſidoro* non diſſentit ipſe *Cicero*, cum pro Ro-

ſcio Comœdo *cantum* nominat *vocum & nervorum & Tibiarum*; atque lib. 2. de Republ. non innuit aliud quàm triplicem hanc Muſicam: *In fidibus ac Tibiis atque cantu ipſo ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diverſis ſonis.* Nec aliter interpretor *Ælium Spartianum* in Severo: *Deinde ex altiſſimi montis vertice, orbem terrarum Romamque deſpexit, concinentibus provinciis lyra, voce, vel Tibia.* Quæ tria etiam eleganter conjuncta video à *Philoſtrato* in Ariſtocle: Ἡδονὰς δὲ ὁπόσαι λυρῶν τε καὶ αὐλῶν καὶ συμφωνίας εἰσὶ πάσας εἰσηγάγετο ἐπὶ τὴν δίαιταν: ſic enim legendum præeunte magno *Salmaſio.*

In organica tamen Muſica adhuc ſtrictior eſt *Caſſiodorus*, qui lib. de Muſica Inſtrumentorum muſicorum genera tria proponit: *Percuſſionale, Tenſibile, Inflatile.* Ille rhythmicam, quam ſtatuit *Iſidorus*, ita confundit cum organica, ut tria inde conſtituat: *Organorum*, inquit, *aliud percutitur, aliud intenditur, aliud inflatur. Percutiuntur*

aceta-

acetabula ænea, vel argentea, unde κρέμβαλα *dicta. Tenduntur fides, quæ plectro percuſſæ mulcent aurium ſenſum. Inflantur Tubæ, calami, organa, panduria, & cætera quæ ſpiritu agitata in ſonum vocis animantur.* Apud *Pollucem* lib. 4. cap. 1. tit 5. Αὐλοὶ καὶ σύριγγες inter ἐμπνεόμενα ὄργανα recenſentur, quippe talis organorum fuit olim differentia, uti apud *Athenæum* Lib. 4. Deipnos. ὄργανα alia ſunt ἐντατὰ, quæ tenduntur fidibus, alia ἐμπνευστὰ quæ inflantur.

Ariſtoxenus apud *Athenæum* inſtrumenta quæ tenduntur iis præfert, quæ inflantur, ideo quod hæc tractantur facilius: multos enim abſq; magiſtro fiſtula canere, ludereque tibia veluti paſtores, unde Tibia canere quibusdam vile fuit, & *Arnobius* lib. 2. adv. Gent. cum omnia ad mundi perfectionem redire nec à finibus utilitatis abſcedere dicat, neſcit quid de Muſicis, quid de Pantomimis, de cantoribus, tuba, tibia, calamoq; flatantibus dicat. Cum tamen *Lactan-*

tius de Falſ. Sap. lib. 3. cap. 25. muſicam cum Philoſophia affinitatem habere contendat. Atque Ephori dictum quo muſicam ad fraudem & deceptionem inter homines inductam probat, damnat *Polybius* lib. 4. & ex eo *Athenæus* lib. 14. Unde etiam inter Muſicas artes alias Tibia emerſit, & apud *Corn. Nepotem* in Epaminondæ virtutibus commemorabatur, ſaltaſſe eum commodè, ſcienterque Tibijs cantaſſe. Et pretium artis inde elucet, quod Iſmenias ille Tibicen, qui ſibi ſuiſque canere ſolitus erat, ut ait *Hieronymus*, vel, ut *Cicero*, ſibi & Muſis, Corinthi Tibias ſeptem Talentis emerit, ſi credimus *Luciano.*

Aliter Romanæ Stoæ Princeps Epiſt. 90. *Sapientia*, inquit, *altius ſedet, nec manus edocet, animorum magiſtra eſt. Vis ſcire quid illa eruerit quidve effecerit? Non indecoros corporis motus, nec varios per tubam ac Tibiam cantus, quibus exceptus ſpiritus aut in exitu aut in tranſitu formatur in vo-*

cem.

cem: Sed hic nodus alibi vindice dignus erit. Nos properamus ad noſtra ἐμπνευστὰ organa, quæ ab *Iſidoro* recenſentur lib. 2. cap. 21. *Tubæ, calami, fiſtulæ, organa, pandoria & iis ſimilia inſtrumenta.* Maximum verò nobis argumentum præbebunt *Tibiæ Veterum*, ex quibus occaſione ſumpta, his affinia organa reliqua quæ flatu animantur, poſtea recenſebimus, ut illorum & Tibiæ noſtræ pareat differentia.

Tibias vero *Veterum* eò tractabimus uberius, quod *Meurſius* Filius, qui per hoc argumentum brevibus lineis progreſſus eſt, minus Lectorum exſpectationi ſatisfecerit. Nam *Bulengerum* de Theatro, *Scaligerum* de Arte Poet. alioſque qui Tibias non niſi aliud agendo quaſi ex occaſione examinarunt, non rectè ad hanc lineam vocaveris. Eruditus quidem *Stephanius* in *Saxonis* lib. 6. in Commentario ſuo Tractatum de Tibiis promiſit quem inter ſchedas certis de cauſis ſe aſſervare dixit, ſed nimium in mora pericu-

lum dolemus, quod in medium nondum proceſſerit. De Tibiis autem plurimos veterum ſcripſiſſe facilè conſtat ex frequenti multorum mentione quæ paſſim occurrit apud *Athenæum* alioſque, quod ſuis locis videbitur; hic nonnullos ex *Athenæi* lib. 14. afferam, qui ubi de Magadi Tibia loquitur: *Ariſtarchus*, inquit, *grammaticus tibiæ genus eſſe dicit, contra judicium Ariſtoxeni in libris de Tibicinibus, ac in libris de Tibiis & muſicis inſtrumentis: contra ſententiam & Archeſtrati qui libros duos compoſuit de tibicinibus, & Pyllidis Delii, qui etiam de tibicinibus librum edidit, & Euphranoris.* Et ex eodem *Athenæo* lib. 4. *Euphranor de tibiis librum conſcripſit & itidem Archytas.*

CAPUT II.

Nominis Tibiæ *origo & ſynonyma.*

Tibia organum muſicum πνευματικὸν vel ἔμπνευστον, à prima ſua materia denominationem traxit, ſi fides ſit *Iſidoro* Origin. lib. 2. cap. 20. qui Tibias appellatas fuiſſe notat, quod primum de cervinis tibiis cruribuſque hinnulorum fierent: deinde per abuſum ita etiam vocatas eas, quæ non de cruribus oſſibuſque fierent. Aliam vocis originem ex veteribus Gloſſ. repetit *Coldingus* in Etymolog. Lat. *Tibiæ*, inquit, *propriè de inſtrumento muſico à Tybin, id eſt, Juncus, ut innuit Vetus Gloſſ. ex cujus generibus primum fiebat.* Utrique denominationi non repugnabo, quia utramque illam Tibiarum materiam familiarem deprehendo. Non tamen neſcius ſum ad alias res tractum Tibiarum Nomen.

Ut Tibiæ os quod pedi adaptatur apud *Macrobium* lib. 1. Somn. Scip. cap. 6. & apud *Iſidorum* lib. 2. tibiæ humani corporis dicuntur quaſi tubæ; ſunt enim longitudine & ſpecie ſimiles. Sed ut illa prætercam, quæ ubertim ex Anatomicorum & Medicorum monumentis hauriuntur, non me latet Tibiam pro plantæ nomine uſurpari apud *Plutarchum* de Effluv. & Mont. Nominibus, ſi Latinæ *Turnebi* verſioni fides habenda ſit, ubi ita: *Naſcitur in hoc fluuio* [Marſya] *herba Tibia nomine, quæ ad ventum agitata muſicam edit harmoniam, teſte Dercyllo lib. 1. Satyr.* Forſan ibi Tibia dicitur pro arundine tibiali ex qua Tibiæ compactæ ſunt, de qua nos poſtea.

Imo Tibicen ipſe, qui apud *Iſidorum* dicitur quaſi *Tibiarum cantor*, non ejuſdem ſemper eſt ſignificationis. In Fragmentis *Feſti* Tibicines etiam hi appellantur, *qui ſacerdotes, viri religioſi publice ſacra faciunt*. Et alibi *Sextus Pomp.* aliam iis ſignificationem

tri-

tribuit: quod *Tibicines* etiam in ædificiis dici exiſtimentur à ſimilitudine tibiis canentium, *qui ut canentes ſuſtineant, ita illi ædificia.* Quo ſenſu commodè explico *Juvenalem* Sat. 3 v 194.

Nos urbem colimus tenui Tibicine
fultam.

Sed Tibiam pro inſtrumento Muſico exprimendo uſurpant paſſim Autores Latini. Id tamen noto apud Grammaticos Veteres modò maſcula modò fœminina ſignificatione nomen Tibiæ uſurpatum, id quod innuit *Nonius Marcellus* de Propr. Serm. cap. 3. *Tibia gen. fem. Maſc. Varro Modio: Quare meas lubidines ac Tibias bilinguos.* Non tamen ſemper ad unum hoc tibiæ nomen reſtringebantur, ſed ut alia, quæ ſuo loco occurrunt, prætercam, quia è loto arbore interdum facta eſt, lotos dicitur apud *Ovidium* de Tibia lib. 4. Faſt.

.... Sed me ſonus æris acuti
Terret, & horrendo lotos adunca ſono.

Ita quæ ex buxo fuit Tibia, Buxum

nominarunt, non addita denominatione Tibiæ. *Claudianus* de Rapt. Proſerp. v. 209.

Non buxus, non æra ſonant . . .

Ovid. lib. 14. Metam.

. . . . . tinnitibus aëra pulſi
Æris, & inflati complevit murmure buxi.

Atque hæc appellatio Tibiæ ipſis familiaris, qui ſacra Cybeles deſcribunt. *Valer. Flaccus* lib. 1.

Obruit Ideam quantum Tuba martia Buxum.

Virgilius lib. 19. Æneid.

Tympana vos buxuſque vocat Berecynthia matris
Ideæ. . . . .

Buxus hic pro Tibia, quia aliis Berecynthia Tibia, inter quos *Ovidius* lib. 11. Metam.

. . . . . inflato Berecynthia Tibia cornu.

De Buxo adhuc *Statius* lib. 9. Theb. v. 479.

. . . . . cum Bacchica mugit
Buxus . . . .

Lu-

Luctatius in hunc locum Tibiam exponit.

Græcis ἀυλὸς Tibia dicitur, cujus etymon nos optimè edocebit *Euſtathius*, qui in Iliad. lib. 17. in hæc verba,

——— Αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον

notat, ἀυλὸν dici ab ἄυω, vel ἄω, id eſt clamo. Exinde varios artis terminos recenſet *Pollux* Lib 4. cap. 9. tit. 5. Α᾿πὸ μὲν ἀυλῶν, ἀυλεῖν, ὑπαυλεῖν, καταυλεῖσθαι, παραυλεῖν, ἄυλημα, ἔναυλον, ἔξαυλον, ἐξηυλημένον. Aliquando Tibia ludentes à Græcis κνυζεῖν dicebantur, anſerum more clangere. Imo tam late in Tibiæ denominatione evagati ſunt Græci, ut à *Suida* Tibæi φυσαλίδες vocentur, quod ſpiritu inflentur. Nam quare *Pratinas* νηνύδονα tibiam dixit, non ignoro, & rationem dabo ubi de Nænia & uſu Tibiæ in funere prolixiùs commentabor. Nec ſemper ἀυλὸν de ſola dici Tibia *Polluci* crediderim, apud quem lib. 5. cap. 3. etiam cuſpidis pars prope haſtile ἀυλὸς dicitur.

Ad forum Hebræum nolo me devolvere, quippe apud quos Tibiæ nominis derivationem fuſè perſequitur *Stuckius* de Sacrif. pag. 3. & Antiquit. Conviv. lib. 3. cap. 20.

CAPUT III.

De Inventoribus Tibiarum.

Tantus de Inventore Tibiarum & inventionis modo inter Autores diſſenſus, ut facilius inter horologia, quam illos conveniat. Nos aliis primam inventionem tribuemus & aliis artis perfectionem ſenſim cultiorem. Inventores plurimos nominat *Scaliger* de Art. Poët. lib. 1. cap. 19. & 20. Et de iis apud *Athenæum* paſſim Iliada reperies. Non in prima Muſices incunabula diligentius inquiram, quandoquidem ex Moſe notum *Genes.* 4. v. 21. illam ante diluvium fuiſſe, cum trinepos Adami Jubal cithara & Tibia canendi artem invenerit. Quod autem

prius

prius ore cecinerint quàm organis, multis videri poteſt *Voſſius* lib. de Nat. & Conſtit. Poët. & de præſtantia Muſices antiquæ legi meretur *Jo. Bapt. Donius* libris tribus editis.

Quod ad Tibiarum attinet inventores, neutiquam illam laudem ſibi Græciam vendicare poſſe contendit *Scaliger* Poët. lib. 1. cap. 19. ſed fruſtra ſimul ac temere Græcam garrulitatem atque ſuperbiam ſibi inventionem arrogare, cum non ſolum Σειρίτην è Libya tibiis canendi primum autorem extitiſſe velit, ſed etiam alios pro ſe adducat, qui in Phrygia primas tibias agnoſcunt, uti Myſorum gentem, quæ tibiæ fuerit peritiſſima, & Alcmana Poëtam, qui tibicines barbaro nec alio nomine deſignarit. Caſui potius fortuito inventionem hanc adſcribit *Lucretius* lib. 5. calamos nempe à ventis agitatos prius ſibilum emiſiſſe, ac poſtea in locis paludoſis id à paſtoribus obſervatum dediſſe occaſionem inventioni; Ita enim ille:

Ut

Ut Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſtes docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulces didiciſſe querelas
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum
Avia per nemora ac ſylvas, ſaltuſque reperta,
Per loca Paſtorum deſerta atq; otia dia.

Sunt qui in Libya primum repertas volunt. Sic *Athenæus* Seiriten, è gente Nomadum Libycorum, tibicinum artis inventorem, primumque tibia cerealium hymnorum cantorem dicit, lib. 14. Conſentit *Euſtathius*: Αὐλὸς λιβὺς, ὅτι λιβύς τις νομὰς αὐλητικὴν πρῶτος εὗρε. Nec aliter *Heſychius*, qui eadem ferè verba habet. *Euſtathius* tamen Iliad. 17. à Thebis Ægyptiis illas profectas vult: Αὐλοὶ θηβαίων ἦσαν εὕρημα τῶν κατ᾽ αἴγυπτον· *Tibiæ Thebanorum erant repertum in Ægypto.* Et rurſus alibi Iliad. 1. Cretæ repertam Tibiam tradit.

Alii ad Deos ipſos inventionem referunt,

ferunt, ut *Plutarchus* lib. de Muſic. Apollinem omnis muſicæ repertorem judicat, quæ tibia & fidibus conſtat. Nec deſunt qui Ardalum Vulcani filium autorem opinantur, referente *Cæl. Rhodigino* lib. 27. cap. 16. Idem Lect. Ant. lib.7.cap.4. Euterpen inventricem judicat. Juxta *Pollucem* lib.4. Marſyas & Olympus invenerunt Tibiam, ſed Sirites expolivit. *Strabo* in inventione addit Silenum, Geogr. lib. 10. Σειλωὸν καὶ Μαρσύαν καὶ Ὄλυμπον συνάγοντες εἰς ἓν καὶ εὑρητὰς αὐλῶν ἱστοροῦντες.

Solius Marſyæ meminit *Hyginus*: *Quas tibias*, inquit, *Marſyas Oeagri filius unus ex ſatyris invenit, quibus aſſidue commeletando ſonum ſuaviorem indies faciebat.* De Marſya hoc diſcrimen addit *Suidas*, quod illum Tibias ex calamis & ære primum confeciſſe dicat. Sed ut de Marſya, quem autorem Tibiæ clamitant, quid rei ſit aperiamus. Ille quidem Tibias reperit, ſed à Minerva ante inventas & abjectas, quam ſolam nos veram illarum ju-

judicamus inventricem. Hoc ſenſu facile erit *Claudianum* explicare lib. 2. in Eutrop.

Hic cecidit Lybicis jactata paludibus olim
Tibia; fœdatam cum reddidit umbra Minervam.

Et *Propertium* lib. 2. El. 23:

Hic locus eſt in quo Tibia docta ſones:
Quæ non jure vado Mæandri jacta nataſti
Turpia quum faceret Palladis ora tumor,

Eleganter idem perſequitur *Ovidius* Faſtor. lib. 6. de Minerva:

Prima terebrato per rara foramina buxo
Ut daret effeci tibia longa ſonos.
Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis:
Vidi & virgineas intumuiſſe genas.
Ars mihi non tanti eſt, valeas mea tibia dixi,
Excipit abjectam ceſpite ripa ſuo.
Inventam Satyrus primum miratur & uſum

Ne-

Neſcit, & afflatam ſenſit habere ſonum.

Nimirum excogitavit prima Pallas Tibiarum uſum, ſed cum oris deformitatem inflataſque in palude vidiſſet buccas, offenſa Tibiis abjecit in flumen, quas deinde Marſyas reperit. Sic enim *Fulgentius* lib. 3. Mythol. totam perſequitur hiſtoriam. Id etiam voluit *Euſtathius* in Iliad. 6. qui inventum quidem Palladis eſſe Tibiam concedit ex *Philoſtrato*; ſed propter deformitatem oris ex inflatis tibiis, illas abieciſſe. Idem feciſſe Alcibiadem credimus *Plutarcho* in Alcib. *Gellio* lib. 9. cap. 17. & *Hygino* Fab. 165. A Minerva tamen, non tantum ob oris deformitatem, abiectas Tibias, ſed quod ad cognitionem animi & ſcientiæ, quæ Minervæ attributa eſt, nihil facerent, conjectura eſt *Ariſtotelis* lib. 8. Polit. cap. 6.

Minerva igitur paſſim pro inventrice prima Tibiarum habetur, & ſic ſalutatur in Epigrammate Veteri Græco

lib. 1.

lib. I. cap. 11. Atque de eadem *Diodorus Siculus:* Εὑρεῖν δὲ καὶ τὴν τῶν αὐλῶν κατασκευὴν καὶ τὴν διὰ τούτων συντελουμένην μουσικήν. *Quæ & Tibias primum fabricavit, & Muſicam, quæ inſpiratione harum perficitur.* Nec quæ huic inventioni occaſio fuerit ignoro. Scilicet quùm Perſeus Meduſæ caput ope Palladis abſcidiſſet, ſorores ejus Steno & Euryalis ipſam lugebant. Ex capite lugentium, quod ſerpentibus erat opertum, ſibili erumpebant ſpeciem lugentium exprimentes, quod Pallas animadvertens excogitavit ut eundem ſonum Tibiis redderet. Omnia fuſè à *Pindaro* decantantur Pythior. Od. 12. ubi artem tibiam inflandi, dicit τέχνην

——— ——— τάν ποτε

Παλλὰς ἐφεῦρε θρασειᾶν Γοργόνων

Οὔλιον θρῆνον διαπλέξαισ' Ἀθάνα. i. e.

Quam olim Minerva vibratix haſtæ excogitavit, audacium Gorgonum gemitum pernicioſum contexens, Et mox:

—— —— Παρθένος αὐ-
λᾶν τεῦχεν πάμφωνον μέλος.
ὄφρα τῆς Εὐρυάλας
ἐκ καρπαλιμᾶν γνύων
χριμφθέντα σὺν ἔντεσι μι-
μήσαιτ' ἐρικλάγκταν γόον. i. e.

Virgo (Pallas) *tibiarum fabricata eſt omniſonum melos, ut Euryalæ ex rapacibus genis profuſum luctum imitaretur cum organis.* Atque illuc eleganter alludentem reperio *Nonnum* Dionyſ. lib. 24.

Μὴ δόνακας φλέξοιας ὅθεν σέο γείτονες αὐλοί.
Μή ποτέ σοι μέμψαιτο τεὴ φιλόμολπος Ἀ-
θήνη,
Ἥ ποτε Γοργείων βλοσυρὸν μίμημα καρήνων,
Φθεγγομένων, Λίβυν εὗρεν ὁμοζυγέων τύπον
αὐλῶν. i. e.

Ne calamos comburas, unde tuæ
vicinæ Tibiæ,
Ne olim te reprehendat tua cantus
amans Minerva.
Quæ olim Gorgonei terribile ſimu-
lachrum capitis
Dicti, libycum inuenit conjunctarum
figuram tibiarum. Cœ-

Cæterum quemadmodum plurimæ erant ſpecies, quæ poſtea ſuo loco occurrent, & alius aliam reperit, ita unicuique ſua inventionis laus debetur. Sic *Plinius* lib.7. capite 56. teſtis eſt Marſyam geminas Tibias, & Midam in Phrygia obliquam inveniſſe. Alii à Pane plagiaulon ſeu curvam tibiam repertam ajunt, à Minerva rectam. Apud *Athenæum* lib. 4. fiſtulæ, cui unicus & ſimplex calamus eſt, inventor Mercurius dicitur: ejus verò, quæ multis eſt compacta calamis, Silenus: illius denique quæ cera glutinatur, Marſyas. Cæterum ab aliis Pani tribuitur calamus. *Virgil.* Ecl. 8.

Panaque qui primus calamos non paſſus inertes.

Propertius lib. 8. Eleg. 2.

Et Calami, Pan Tegeææ, tui.

Præterea quoniam omnibus hæc communis artibus ſors, quod ex obſcuris exilibuſque initiis in melius quotidie creſcant, non mirum eſt ſi qui rudem & indoctam hujus artis infantiam paulatim

ad

ad perfectionem majorem deduxerint, & aliquid inventis addiderint, ſi, inquam, illi etiam aliquid ſibi deberi velint & inventores audiri. Ita elegantiſſime de Hyagni *Apulejus* Floridor. lib. I. *Hyagnis fuit, ut fando accepimus, Marſyæ tibicinis pater & magiſter, rudibus adhuc Muſicæ ſeculis, ſolus ante alios cantus canere nondum quidem tam flexanimo ſono nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia; quippe adhuc ars iſta repertu nova commodum oriebatur. Prorſus igitur ante Hyagnim nihil aliud plerique callebant, quam Virgilianus opilio ſeu bubſequa*

Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.

Quod ſi quis videbatur paulo largius in arte promoviſſe, ei quoque tamen mos fuit una tibia velut una tuba perſonare. Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinavit: primus duas tibias uno ſpiritu animavit: primus lævis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi

vi bombo concentum muſicum miſcuit. De Pronomo Thebano, qui primus tibias invenit, quæ ad omnimodam modulationem verſarentur, idem refert *Pauſanias* in Bœoticis. Quippe ante illum cum tibicen à Phrygio tranſire vellet ad Lydium, aut à Lydio ad Dorium, tibias mutare opus fuit, iis ſumptis, quæ unicuique modorum accommodatæ fuere, quod pluribus monet ibidem *Pauſanias*, & *Athenæus* lib. 4. De his plura vide apud *Salmaſium* Plin. Exerc. p. 119. Cum Tibiis canere voce Trœzenius Dardanus inſtituit, referente *Plinio* lib. 7. cap. 56. Et ſecundum *Plutarchum* lib. de Muſ. Laſus Hermioneus rhythmos transferens ad dithyrambicam inſtitutionem, & varios adjungens Tibiarum ſonos, magnam in Muſica induxit mutationem.

CAPUT IV.

De Materia Tibiarum.

Hodieque nonnulli illud inſtrumentum ad uſum revocant, ſed ex ligno tantum. At jam olim ex auro, aurichalco, cervorum, aſinorumque cruribus parabatur, ut legitur apud *Philoſtratum* lib. 5. de Vit. Apoll. quærente Apollonio à Tibicine, an à materia ex qua Tibia compacta eſt, ſonum habeat: *An igitur præterea cani efficit hæc tibia, quod ex auro, aurichalco, aut cervorum, aut aſinorum cruribus compacta ſit?* Plures ad tibiam materias addit *Jul. Pollux* lib. 4. cap. 9. tit. 6. Ἡ δ' ὕλη τῶν αὐλῶν, κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, ἢ ὀστοῦν ἐλάφου, ἢ δάφνης τῆς χαμαιζήλου κλάδος, τὴν ἐντεριώνην ἀφῃρημένος. Primo loco nominat κάλαμον velut antiquiſſimam Tibiarum materiam, quod etiam faciles concedimus ex plurimis veterum edo-

cti, apud quos hanc materiam frequentem obſervamus. In Orchumenii lacus harundinetis calamus naſcitur tibiis utiliſſimus auleticus ideo dictus referente *Plinio* Natural. Hiſt. lib. 16. cap. 36. *Calamus alius totus concavus, quem ſyringiam vocant, utiliſſimus fiſtulis, quoniam nihil eſt ei cartilaginis aut carnis. Orchumenius eſt continuo foramine pervius, quem auleticum vocant: hic tibiis utilior, fiſtulis ille.* Ante *Plinium Theophraſtus* poſtquam de calami hujus Tibialis generatione tradidit, formam ejus deſcribit, in univerſum differre ab aliis harundinibus aſſerens τῇ ἀτροφίᾳ τῆς φύσεως, ἀπλήστερον γὰρ εἶναι καὶ ἀσαρκότερον. Hujus calami duo genera, ζευγίτης, & βομβυκίας. Ex ejus uno internodio binæ Tibiæ, dextræ & ſiniſtræ formabantur, unum quippe internodium in duas partes æqualiter cæſum duas Tibias ſubminiſtravit æquales, de quibus vide *Theophraſtum.* Calamus autem ille ζευγίτης ex quo hæc Tibiarum paria facta, ut aptus eſſe poſ-

poſſet πρὸς ζευγοποιΐαν craſſior eſſe debuit inundatione lacus per biennium manente, quemadmodum ex *Plinio* ad *Solinum* notat *Salmaſius*. Sin autem aqua minoris temporis ſpatio manſiſſet, calamus inde minus grandeſcebat, minuſque propterea idoneus exiſtebat paribus faciendis. Ex eo calamo igitur factitari ſolitæ bombyces tibiæ, longiſſimæ, ad inflandum difficiles. *Plinius* lib. 16. cap. 36. de lacus Orchumenii aquaticis calamis: *Tertia harundo eſt tibialis calami, quem auleticon dicebant: nono hic anno naſcebatur. Cum igitur anno permanſit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem, vocabantur Zeugitæ: contra Bombyciæ maturius reciproco, graciles: fœminarum latiore folio atque candidiore; modica lanugine, aut omnino nulla, ſpadonum nomine inſignibus: hinc erant armamenta ad incluſos cantus: nam ſilendo & reliquo curæ miraculo, ut venia ſit, argento jam potius cani.* De eodem Orchomenio

lacu calamum Tibiis adminiſtrante *Strabo* lib. 9. hic per interpretem: *Ferunt etiam apud Orchomenium terram hiatu diductam recepiſſe Melanem fluvium, qui per agrum Haliarcium fluens, paludem ibi facit, quæ calamum tibiis aptum ibi producit.* Et alibi: *Sita fuit in arcto loco, inter montem imminentem & Copaidem paludem, prope Permeſſum, Olmium & Cacum, qui tibiis aptum calamum edit.* In Cepheſidis fluvii luco prope Orchomenium calamos pro tibiis creſcere innuit *Pindarus* Pythiorum Ode 12. ubi de ſono Tibiæ:

λεπτοῦ διανισόμενον
χαλκοῦ θ' ἅμα καὶ δονάκων,
τοὶ παρὰ καλλιχόρῳ,
ναίοισι πόλει χαρίτων,
Καφησίδος ἐν τεμένει.

Tenue tranſeuntem per æs, pariter & calamos, qui exſtant apud urbem Charitum, pulchro in loco fundatam Cepheſidis in luco. Huc alludit *Apuleius*, cum arundinem, quæ Pſychen alloqui-

quitur, Muſicæ nutriculam appellat; Metam. lib. 6. *Sed inde de fluvio Muſicæ ſuavis nutricula, leni crepitu dulcis auræ divinitus inſpirata, ſic vaticinatur arundo viridis.* Quippe ex arundine factam tibiam oſtendit *Euſtathius* Iliad. lib. 7. παλαιὸν δὲ ὁ αὐλὸς καὶ πολυειδὴς, καὶ ὡς ἐπὶ πολὺ καλαμίνης· παρὰ γοῦν ἀλεξανδρεῦσιν ἦν μόναυλος κάλαμος, Ὀσίριδος φασὶν εὕρημα. *Olim tibia multiformis, & ut plurimum arundinea. Apud Alexandrinos erat calamus monaulos, Oſiridis inventum.* Ubi videmus illum hanc Tibiis materiam communiſſimam aſſignare. Unde paſſim apud Græcos calamus pro Tibia uſurpatur. *Pindarus*, σὺν καλάμοιο δὲ βοᾷ δέχονται, *cum tibiæ cantu excipiuntur.* *Coint. Smyrnæus* Derelict. lib. 6.

Αὐλοί τε, λιγυροῖσιν ἀρηρέμενοι καλάμοισιν.

Tibiæque ſtridulis compactæ calamis.

Theocritus Idyll. 6.

—— τὸ γὰρ ποτε ὀκτάσω σύριγγα
οὐκ ἀρκεῖ τι καλάμας αὐλὸν ποππύσδειν ἔχοντι.

... An unquam fiſtulam poſſediſti?
Non ſatis eſt tibi culmo, quæ tua tibia eſt, ſibilare.

Græci aliquid intereſſe volunt inter δόνακας & κάλαμον, ut λεπτότατος, id eſt tenuiſſimus ſit ὁ δόναξ, ἁδρὸς δὲ κάλαμος, calamus verò confertus & denſus. δόναξ μὲν συρικταῖς χρήσιμος, κάλαμος δὲ αὐληταῖς, ait *Euſtathius* Iliados 6. Ad rem noſtram eleganter *Theocritus* Idyl. 20.

——— κἂν σύριγγι μελίσδω,
Κἂν αὐλῷ λαλέω, κἂν δόνακι, κἂν πλαγιαύλῳ.

... Etſi fiſtula canam
Aut tibia, aut calamo, aut tibia curva.

Ubi aliquid inter hæc omnia admittit diſcriminis.

Apud Latinos nihil vulgatius, quam ſola calami denominatione tibiam ſignificare. *Calphurnius* Eclog. 8.

Incipe ſi quid habes gracili ſub arundine carmen
Compoſitum. Nam te calamos inflare labello
Pan docuit .....

Pre-

Propert. lib. 2. Ecl. 25.

Tu canis umbroſi ſubter pineta Galeſi
Thyrſin & attritis Daphnin arundinibus.

Denique ipſe *Maro* Eclog. 6.

... Hos tibi dant calamos, en accipe, Muſæ,
Aſcræo quos ante ſeni, quibus ille ſolebat
Cantando rigidos deducere montibus ornos.

Calamus, definiente *Iſidoro*, proprium nomen eſt arboris, Orig. lib. 2. cap. 20. *Calamus, nomen eſt arboris proprium, à calendo id eſt fundendo voces vocatum.* Apud *Plinium* arundinibus tribuitur, de quibus etiam ex eodem Natur. hiſt. lib. 16. cap. 36. notandum tempus quo cædi ſolebant, quæ tibiis deſtinabantur, nimirum tempeſtivè ſub Arcturo, uſque ad Antigenidem Tibicinem, cum adhuc ſimplici muſica uterentur. Atque ſic præparatæ aliquot poſt annos utiles eſſe incipiebant, *tunc quoque multa*

domandæ exercitatione, ut ait *Plinius*, *& canere ipſæ tibiæ docendæ, comprimentibus ſe lingulis, quod erat illis theatrorum moribus utilius.* Poſtquam verò varietas acceſſit & cantus quoque luxuria, cædi ante ſolſtitia cœptæ. Addit ibidem *Plinius*, olim ex ſua quanque tantum harundine congruere perſuaſum fuiſſe: & eam quæ radicem anteceſſerat, lævi tibiæ conveniret: quæ cacumen dextræ. Apud Dores Italicos καλάμινος ἀυλὸς tibia ex calamis, πτύελινος *tityrinus* dicebatur, ſi credimus *Athenæo* lib. 4.

Et ſane poſteriori tempore, florente luxu Muſicæ & Tibia ex auro, argento, ebore &c. apud alios vigente, calamos paſtoribus relictos credibile eſt, qui ad illos carminibus paſſim certavere. *Calphurnius* Eclog. 8.

Viximus & verſus calamis cantavimus olim.

Virgilius Eclog. 5.

.... Boni quoniam convenimus ambo,

Tu

Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus.

Et Eclog. 6.

Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.

At rudi adhuc muſicæ ſeculo non mirum eſt ſi Paſtores etiam è culmo & ſtipula ſibi Tibias paraverint. Unde de Virgiliano opilione,

Stridenti miſerum, ſtipula diſperdere carmen.

Calphurnius Eclog. 1.

. . . Teretique ſonum modulemur avena.

Et Eclog. 3.

Vox & carmen inops, & acerbæ ſtridor avenæ.

Catullus lib. 3. Eclog. 4.

Sed perlucenti cantus meditabor avena.

Tibullus lib. 3. Ecl. 1.

Et ſatur arenti primum eſt modulatus avena

Carmen.

Denique *Maro* ipſe Eclog. 10.

Carmina Paſtoris Siculi modulabor avena.

Avena autem, inquit *Servius*, *Culmo, ſtipula : unde ruſtici cantare conſueverunt*,

Alii cicutam elegerunt, de qua Virgilius Ecl. 5.

Hac nos te fragili donabimus ante
cicuta.

Præter has tibiarum materias alias frequentes apud Antiquos reperio. Ex auro & orichalco meminit *Philoſtratus* lib. 1. de Vit. Apollon. Αὐλὸς τὸν φιλοθύτην ἐνθειότερον ἐργάζεται, οὐ διὰ χρυσοῦ τι καὶ ὀρειχάλκου συγκεῖσθαι. *Tibia eum qui libenter ſacris operatur facit diviniorem, non quod ex auro aut orichalco fiat.*

Ex argento Tibias apud *Plinium* reperio lib. 16. c. 36. Quod ex ære fuerint patebit ex ſacris Berecynthiæ, ubi de illis dicemus. Eburna Tibia apud *Propertium* lib. 4. Ecl. 6.

Spargite me lymphis carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.

Ab *Euſtathio* Phœnicibus tribuuntur

tur ἐλεφάντινοι αὐλοὶ, *eburneæ tibiæ*, & illas primum à Phœnicibus pertuſas fuiſſe, teſtem etiam habeo *Athenæum* lib. 4. De eburneis *Magius* lib. 1. Miſcell. cap. 13. quo ſenſu etiam interpretor illud *Virgilii* Georg. 2.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Pro tibicine qui in ſacrificiis eburnam Tibiam inflavit. Aliàs ſacrificas Tuſcorum tibias è buxo tradit *Plinius*. Et hoc tibiæ genus apud alios etiam authores frequens obſervo. *Statius* Thebaid. lib. 8. verſ. 221.

... Gemina æra ſonant, Idæaque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Et lib. 4. v. 94.

.... Cum ſacra vocant, Idæaque ſuadet Buxus ....

Scilicet Buxum pro tibia dicunt, quæ in ſacris ſonabat.

Valer. Flaccus Argonaut. lib. 2.

... Sacris hinc ignibus Ida

Vibrat, & horriſonæ reſpondent Gargara buxo.

Sidon. Apollin. Carm. 19. v. 202.

Non hic Dindyma, nec crepante buxo
Curetas Berecynthiam ſonantes.

Statius lib. 2. Theb. v 663.

.... *Celænea committere prælia buxo*

Idem Achilleid. lib. 2.

.... *Iſmenia buxus*
Signa dedit.

De tibia hæc omnia intelligi debere, perſuadet *Seneca* qui in Agamemn.

Multifora buxo Tibia.

Et ipſe *Virgilius* in Matris Deûm ſacris buxum pro tibia agnoſcit, Æn. lib. 9.

Tympana vos Buxuſque vocat Berecynthia Matris
Idææ ....

Atque idem *Athenæus* libro 4. Etiam in ſacris Bacchi buxum receptam loquitur *Statius*, & *Luctatius* exponit Tibiam ad verſum 480. libro 9. Thebaid.

Ex

Ex ramo δάφνης χαμαιζήλου, *lauri humi ſerpentis*, cui medulla exempta, tibiam factam memorat *Pollux* lib. 4. Et ea Afros Nomades ceciniſſe in Equorum paſcuis, autor eſt *Scaliger* Poët. lib. 1. cap. 4.

Ex loto ludicras Tibias recenſet *Plinius* lib. 16. cap. 36. Et idem confirmat lib. 13. cap. 17. ubi de loto arbore: *Ligno colos niger, ad Tibiarum cantum expetitur.* Eandem Tibiarum materiam agnoſcit *Feſtus*: *Lotos, arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant.* Et dictæ ille Tibiæ φώτιγγες & φωτίγγια, ſi credimus *Euſtathio*, qui eas ab Alexandrinis factas memorat è ligno Libyco, cui loto nomen.

De Tibia ex Sambuca ligno diſſerentem habeo *Iſidorum* lib. 2. cap. 20. *Sambuca in muſicis ſpecies eſt ſymphoniarum. Eſt enim genus ligni fragilis, unde & tibiæ componuntur.*

Denique ex cornu Tibias fuiſſe, confirmant Ceraulæ, qui dicebantur Tibicines, ita enim apud *Apuleium* lib. 1.

lib. 1. Flor. legendum : *monumentarii ceraulæ.* Et apud Oroſium lib. 6. de Nerone : *ceraulas, cithariſtas, tragœdos, & aurigas ſæpe ſibi ſuperaſſe viſus eſt.* Cornua pro tibiarum materia habentur à *Nonno* Dionyſ. lib. 3.

——— θυασώσεες ἔβρεμον αὐλοὶ

Ἄζυγες, οὓς κεραίη κεραελκό⊗ εὕρατο τέχνη

... Thyaſum olentes fremebant Tibiæ

Non junctæ, quas antiqua cornua expoliens invenit ars.

In aliis tamencornu non totam tibiam conſtituebat, ſed tantum partem, de qua capite ſequenti.

Agmen claudent oſſeæ Tibiæ, quam materiam familiarem obſervo. Et quidem oſſa illa varia. E tibiis gruum fuere, authore *Plinio* lib. 16. cap. 37. Ex cervinis oſſibus factam tibiam refert *Barthius* Adv. lib. 33. cap. 21. Et ſic etiam *Ariſtophanes* citatus à *Suida* in voce ὀςίν⊗. *Euſtathio* teſte Thebani Ægyptii ex hinnulorum oſſibus tibias fecerunt, qui etiam reliquos Græcos do-

docuerunt perhibente *Athenæo* lib. 14. In Græcis Epigramm. lib. 4. cap. 26. num. 13.

Νεβρείων ὁπόσον σάλπιγξ ὑπερίαχεν αὐλῶν.

Oſſeas quantum Tuba ſuperat Tibias.

Et huc alluſiſſe credo *Ariſtophanem* in Acharnens.

Τοῖς ὀςίνοις φυσᾶτε τὸν πρωκτὸν κυνός.

Oſſeis tibiis inſpirate podicem canis.

Ad rem admodum *Callimachus* perforari oſſa hinnulorum dicit in Hymno Dianæ:

Οὐ γάρ πω νέβρεια δι' ὀςέα τετρήνοντο,
Ἔργον Ἀθηναίας ἐλάφῳ κακόν. i. e.

Nondum hinnulorum oſſa perforata erant

Opus Minervæ ex quo Cervis pernities.

Ubi Minervæ hoc opus tribuit, cui etiam tibiæ inventio debetur, ut alibi docuimus. Miror autem quod ſuperſtitioni forſan affine, quod non omnia hinnulorum oſſa tibiis convenire pu-

putaverint, nam eorum, qui cacto ſpina confixi erant, oſſa tibiis inutilia judicata ſunt. Quod ex *Heſychio* capio: κακτὸς ἄκανθα, ὑφ' ἧς ἐὰν πλήγῃ νεβρὸς, ἄχρεια ἔχει τὰ ὀστᾶ εἰς αὐλούς. i. e. *Cactus ſpina, qua hinnulus confixus, ejus oſſa utilia tibiis non ſunt.* Et *Philetas:*

Χαρύσαιτο ἂν νεβρὸς ἀπὸ ψυχὴν ὀλέσασα
Ὀξείης κάκτου, τύμμα φυλαξαμένη. i. e.

Hinnulus mortuus qui acuta cacto confixus non fuerit, ſonitum in tibia edat.

Nonnunquam tamen cervinis his Tibiis prælatæ illæ quæ ex Aſininis oſſibus factæ ſunt, quales ludicras fuiſſe aſſerit *Plinius* lib. 16. cap. 36. Probatas has magis quam cervinas innuit *Plutarchus* in Sympoſio: περιέμενοι τὰ νέβρεια, χρώμενοι τοῖς ὀνείοις. i. e. *abjectis hinnulorum tibiis, uſi ſunt aſininis.* Cauſam ipſe addit, quia ſcilicet ὄνος λεπτότατον, καὶ μουσικώτατον ὀστέον παρέχεται, *aſinus tenuiſſimum & maxime ſonorum os præbet.* Et hoc eſt, quod ipſe ibidem miratur, aſinum animal ſtolidiſſimum & à Muſica alieniſſi-

mum,

mum, oſſa tenuiſſima & maxime ſonora ſuppeditare.

CAPUT V.

Tibiarum *Forma, earumque Partes.*

F*Ortunatus Schaccius* Myrothec. 3. cap. 57. Tibiam deſcribit quæ Italicè *piſaro* dicitur, hiſpanicè *meeſtril*, & phrygiam tibiam apud Græcos fuiſſe ſuſpicatur ex vi ipſius vocabuli Hebraici. Nam Hebraicè inſtrumentum hoc à pluralitate foraminum appellatur: quia præter foramina ſeptena, quæ digitis ad vocem elevandam, gravandam, aut acuendam aperiuntur vel clauduntur, medium illius ſingulari quodam cortice, vel ligneo, vel ex aliqua alia materia minutiſſimis foraminibus perforato circundatur: ut vox gravior, ex foramine quodam majori ſub illo cortice clauſo


clauſo reſonet; dum tactu cujuſdam ligulæ metallicæ extendentis ſe uſque ad manus illius, qui tibia canit, aperiatur: Et quò manus pulſantis pertingere nequit, ligula accedat, ac recedat: aperiat vel claudat foramen, & vox gravetur, vel elevetur, ut videre licet in hac figura quam adumbravit *Schacchius*: Ad alias Tibiarum formas nos digrediemur. *Plagiaulos* fuit diverſa à Tibia Phrygia, quæ tamen & ipſa curva ſeu obliqua. Græcè ἔλυμος dicebatur, ut *Pollux*, qui refert tam plagiaulo quam elymo additum κέρας ἀνανεῦον. Inde eſt, quod cornu appellant Poëtæ cum de Phrygia Tibia loquuntur. *Ovidius* Metam. lib. 3.

——Pentheus ait: Æra ne tantum
Ære repulſa valent, & adunco
Tibia cornu.

Idem Pont. lib. 1. Ep. 1.

Ante Deûm Matrem cornu Tibicen adunco
Cum canit.

Ideo-



Ideoque expreſſe *Tibullus* Tibiæ curvæ phrygium ſonum adaptat lib. 3. El. 1.

... Sed turba jocoſa
Obſtrepit & Phrygio tibia curva ſono.

Et apud *Virgilium* Æn. 11. curva illa tibia occurrit:

Aut ubi curva choros induxit Tibia Bacchi.

Phrygium cornum hanc tibiam vocat *Varro* apud *Nonium* hoc verſu:


Phrygius per oſſa cornus liquida canit anima.

Pro *Phrygium cornu*, ſic *Lucano*: *cornus ſiniſter*. Tibiæ hoc cornu inflexum dicitur *Ovidio* Faſt. lib. 4.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit; & Idææ feſta parentis erunt.

In quem *Car. Neapolis Antipyxes* dextræ & ſiniſtræ tibiæ tale ſchema exhibet,

Quia in Phrygia *codon* ſolùm è cornu annexum, reliquum buxeum aut oſſeum erat teſte *Polluce*: idque in har-



harmonia *Phrygia* tantum erat in ſiniſtra tibia non in dextra, quæ recta erat, referente *Heſychio.* Ad hoc eleganter alludit *Nonnus* Dionyſ. lib. 8.

> Καὶ νόμιον κερόεντος ἀμειβομένη κτύπον αὐλοῦ.
>
> *Et paſtorali cornutæ reſpondens Tibiæ.*

Nonnunquam Vituli hoc cornu fuiſſe, quod in fine adiectum eſt Tibiæ, obſervo in Græcis Epigrammat. lib. 6. cap. 5. num. 1.

> ——— βαρυφθόγγων τ' ἀλαλητὸν
> Αὐλῶν, οὓς μόσχου λοξὸν ἔκαμψε κέρας.
>
> ..*Graviter ſonantium ſtrepitum*
> *Tibiarum, quas vituli curvum incurvavit cornu.*


Certe Tibia Phrygia Tubæ Tyrrhenicæ quantum ad formam ſimilis apud *Euſtathium*, „τὸν κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα. Et de hoc cornu quod Tibiarum pars eſt videatur *Parens* meus venerandus in Obſervationibus de Unicornu. De hoc ipſo accipio *Athenæum* lib. 15. ubi de Phrygio rhythmo:

Τὸ

Τὸ κέρας αὐτῷ προσάπτουσι, ἀνάλογον τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι. Κώδων propriè eſſe volunt cymbalum, vel parvam potius ex ære nolam. Hinc & Tubarum orificia, quà ſpiritus emittitur, quod eam referant formam, ſenſimque ſeſe in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperiantur, κώδωνες etiam appellati. κεκλασμένον κώδωνα vocat *Euſtathius*, quod labra in ambitu repanda, & replicata haberet: Et hujuſmodi κώδωνες ex cornu facti tibiis Phrygiis addebantur. Hoc apparet in Tibiis illis implexis quas in antiquis monumentis videmus, ubi ſacra Deûm Matris inſculpta habentur. Ita apud *Gruterum* Inſcript. p. 27. citatur ara marmorea, quæ exſtat Romæ in atrio domus Cardinalis Cæſii, & in cujus latere ſiniſtro eleganter inſculptæ viſuntur tibiæ implexæ, de quibus modo diximus una cum fiſtula; quas ex *Boiſſardo* ſequenti paginâ exhibeo,

Ad hoc alludit Epigramma vetus lib. 3. De Cybele

Ἡ λώτω



Ἡ λώτῳ κεράενῃ φερυμδύ.

Quæ ferebatur ad lotum, id eſt tibiam *cornu inſtructam.*

Sed cornua illa, quæ tibiis adaptata memoravimus ad ſonus gravitatem faciebant, ſi credimus *Athenæo*; de Phrygio rhythmo. Judice *Ariſtotele* de iis quæ ſub auditum cadunt, cornua ad clariorem ſonum faciunt: *Nam ut æramenta & cornua reſonando inſtrumentorum ſonos reddunt clariores.*

Tyrrhenæ tibiæ formam deſcribit *Pollux* quam inverſæ ſyringi ſimilem dicit lib. 4. cap. 9. tit. 5. ibidemque ait Platonem etiam tibiam multis chordis præditam nominare ἀυλὸν πολύχορδον. Et ſimile apud *Juvenalem* Sat. 3. verſ. 63.

Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum

Vexit . . . . .

Vetus *Scholiaſtes* chordas obliquas interpretatur, ruſticos tibicines, qui in obliquum tangent. Alii ſignificari putant, non ſolum tibias ſed etiam citharas à Barbaris introductas. Controverſiam de tibia cum chordis dirimet Magadis tibia, de qua proximo agemus Capite.

De geminis Tibiis quas ſimul inflabant nihil dicam quia de iis poſtea. Illud hic adducam me in antiquis monumentis obſervaſſe peculiare genus Tibiæ ex duabus compoſitum, ſed cujus unica tantum pars erat quæ ori admovebatur, in medio in duas alias fiſſa binos voci exitus dedit, ut expreſſè talis ſit quæ apud Poëtam

— *Biforem dat tibia cantum.*

Illam eandem intelligit *Statius* Thebaid. lib. 4. de Orgiis Bacchi:

Æraque, tympanaque & biforem reticere tumultum
Imperat.


Apte

Apte hanc adumbrat *Nonnus*, ſed in ſacris Idææ Matris, quippe qui Dionyſ. lib. 13.


> Καὶ δίδυμοι Βερέκυνθες ὁμόζυγες ἔκλαγγον
> αὐλοί.

> *Et geminæ Berecynthes conjunctæ*
> *clangebant tibiæ.*

Apud *Boiſſardum* in Antiquitatibus Romanis exſtat Priapi ſacrificium, Romæ poſitum, quod à fœminis celebrabatur, ex quo hic dabo ſolam Tibiam.



Nec abſimilem Tibicina cornicem inflare videtur, in Sacris Idææ Matris, quæ ex ædibus Mazarinis edidit *Petr. Bellorius*, ex quibus illam ſolam figuram hic adjiciemus. Et hanc



Tibiam expreſſit *Nonnus* Dionyſ. lib. 10.

Τρητὸν ἐπιθλίβων διδυμόθροον αὐλὸν Ἀθήνης.

Perforatam premens duplicem ſonitum edentem tibiam Minervæ.

Et lib. 8. κλύπος δίζυγος αὐλῶ, *ſonitus bijugæ tibiæ.* Eandem lib. 15. δίθροον αὐλὸν dicit, & lib. 3. δίκλυπος αὐλὸς ἔμελπε. *Bino ſonitu Tibia canebat.* Denique lib. 18. ἔβρεμον αὐλοὶ συμπλεκέες, *fremebant tibiæ conjunctæ.*

Ad Partes Tibiarum jam tranſeo quas recenſet *Pollux* lib. 4. cap. 9. tit. 5. Τῶν δὲ ἄλλων αὐλῶν τὰ μέρη, γλῶττα, τρυπήματα καὶ βόμβυκες, ὅλμοι καὶ ὑφόλμια; *Aliarum tibiarum partes ſunt, lingula, foramina, bombyces,* ὅλμοι, ὑφόλμια In Initio cum adhuc in cunis vagiret Artis muſicæ infantia, pauca admodum tibiis fuere foramina, nec ultra tria vel quatuor, ut *Acron* in artem Poëtic. *Horat.* Plura poſtea addita foramina. Si credimus *Polluci* lib. 4. cap. 10. tit. 3. quatuor primum foramina ti-

bia habuit, donec Diodorus Thebanus multis perforaret, πλαγίας ἀνοίξας τῷ πνεύματι τὰς ὁδούς. *Obliquos ſpiritui meatus aperiens.* A foraminibus & flatu definit tibiam *Papias* in onomaſtico: *Tibia eſt inſtrumentum muſicæ cum diverſis foraminibus, quæ ore inflatur.*

Foramina Tibiarum *cavernas* vocat *Favonius Eulogius*, Rhetor Carthaginienſis, de ſonitu cœleſtium orbium: *Si tibiam*, inquit, *cujuslibet longitudinis ſumens octava ejus portione deducta cavernam imprimas, tonus auditur: ſi ſextamdecimam ex reliqua metiaris, hemitonium conſequitur. Itaque cavernis harmoniæ lege diſpoſitis edentur ſymphoniæ, quas docui per numerorum intervalla congruere.* Ex quo loco patet plurimum referre quomodo perforata ſit tibia, unde bene perforata tibia laudata *Nonno* Dionyſ. lib. 42.

—— εὐτρήτου μέλος αὐλοῦ.

Benè perforatæ cantilena tibiæ.

Fo-

Foramina Tibiarum πόροι, vel canales dicuntur eidem *Nonno* Dionyſ. lib. 45. Fiſſam tibiam *Statius* dicit pro *perforatam*, Sylvar. lib. 5.

—— Nec fiſſa gaviſam Pallada buxo.

De Tibiarum foraminibus *Ariſtoxenus* librum ſcripſit, quem citat *Textor* in Theatro Philoſophico lib. 1. cap. 2. Et Tibiarum perforator *Polluci* lib. 7. cap. 33. & lib. 4. cap. 9. ἀυλοτρύπης nominatur, diverſus ab illo, qui Tibias conficit, quem ἀυλοποιὸν nominat, quemadmodum lingularum opificem γλωττοποιόν.

Rara olim Tibiarum fuiſſe foramina, *Ovidius* ait lib. 6. Faſtor.

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, tibia longa ſonos.

Et primis temporibus pauca foramina Tibiæ tribuuntur ab *Horatio* lib. 1. de Art. Poët.

Tibia non ut nunc orichalco vincta tubæque

Æmula, ed tenuis, ſimplexque, foramine pauco.

Inter Commentatores ſunt, qui, quod *Horatius* tibiam orichalco vinctam dixerit, ſignificare hoc putant tibiæ magnitudinem tantam, ut ex duobus lignis fieri neceſſe fuerit, ac in medio orichalco vinciri. Alii, ceu bracteam auream, tibiis ornamenti, non neceſſitatis cauſa adjectum volunt. *Septiforis* Tibia dicitur *Sidonio* lib. 1. Epiſtolarum. Plura illi tribuit *Avienus*:

Quodque foraminibus Tibia mille ſonat.

Multiforam tibiam reperio apud *Senecam* in Agamemnone:

Tibi multifora Tibia Buxo
Solenne canit.

Et Multiforatilem vocat *Sidonius* lib. 9. Epiſt. 8. Atque *Apulejus* Florid. 1. hoc enim quàm *multiforabilis* mavult *Petr. Colvius.*

Ipſe *Ovidius* de multifora Tibia loquitur Metamorph. lib. 12.

Non

Non illos citharæ, non illos carmina vocum

Longaque multifori delectat Tibia Buxi.

Sic etiam Græci ad rem noſtram. *Nonnus* Dionyſ. lib. 15.

πολυτρήτοιο βοῇ δεδονημένος αὐλοῦ.

Multiforaminis ſonitu agitatus tibiæ.


Hac foraminum multitudine efficiebatur, ut quoties mutanda eſſet modulationis forma, aliis obturatis, aliis apertis foraminibus, id facile procederet, quod in antiquis tibiis fieri non licuit, quæ non plura habuere foramina, quam quibus apertis opus eſſet, ad unum aliquem ex tribus modis efficiendum.

His foraminibus nonnulli κέρατα quædam adaptabant, ut, cum vellent, aperirent atque clauderent, quod ex *Arcadio Grammatico*, apud *Salmaſium*, in Plinianis exercitationibus percipio, qui hæc κέρατα quorum uſum in claudendis, & aperiendis tibiarum foraminibus modò diximus,

comparat notis illis quibus aſpirationes in vocibus deſignantur. De illis nuper *Octav. Falconierius* in Diſſertat. de Pyramide C. Ceſtii, Italico idiomate: *Nelle Tibie, le quali tiene nelle mani la terza figura, ſi veggono alcuni piccoli pivoli, i quali ſervivano, ſecundo me, ad uſo di taſti, come nelle Sordelline, ed i fori onde ſi formava il ſuono, aſſai diſtanti l'uno dall' altro.* Videntur eſſe Paxilli cornei, etiam ex mente *Cl. Salmaſii*; quibus immiſſis foramina Tibiarum obturabantur, iiſdemque exemptis aperiebantur: *Nam,* ut *Quintilianus*, *Tibiæ eodem ſpiritu accepto, alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium ſatis purgatæ ſonitum reddunt.* Et ſine his paxillis apertas tibias dictas arbitror, ut idem *Quintilianus*: *illa verò jam penè apertis, ut ajunt, Tibiis*: Quippe acutius ſonabant quæ apertis, gravius, quæ clauſis foraminibus inflabantur. Paxillos autem corneos, de quibus nuper dixi; videor mihi videre tùm paſſim alibi tùm in


ti-

tibiis apud *Gruterum* p. 27. in aræ cujuſdam latere dextro, ex ædicula S. Michaelis Romæ in Vaticano, hac forma.



Et ſimiles in aræ cujuſdam latere ſiniſtro, ad porticum Palatii Cardinalis Trivultii, quæ apud *Gruterum* exſtant, Inſcriptionum antiq. pag. 27. Nec multum abludunt binæ Tibiæ quæ in manu ærea conſpiciuntur inter alia antiquitatis monumenta, quæ ad Magnæ Matris & Attidis ſacra ſpectant, Tornaci Nerviorum eruta, & à *Pignorio* commentario illuſtrata, quarum iconem hic damus.

Sed ad Tibiarum foramina revertar,



per quæ vicina ori ſonus acutus edebatur, de longinquis & remotioribus gravior. *Servius* ex *Varrone* obſervat dextram Tibiam unum foramen habuiſſe, ſiniſtram duo. Ideoque *Apulejus* Florid. lib. 1. *Lævis & dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo concentum muſicum miſcuit.*

Foramen tibiæ pro ipſa Tibia dixit *Ovidius* lib. 1. de Pont. Ep. 1.

En ego pro ſiſtro Phrygiique foramine buxi
Gentis Iuleæ nomina ſancta fero.

Idem lib. 4. Metam.

Concavaque æra ſonant, longoque foramine buxus.

Inter

Inter Tibiarum partes recenſet *Pollux*, γλῶττα. Erant autem γλώττιδες ſecundum *Heſychium*, lingulæ in ore Tibiæ, quæ flatu canentis agitabantur. Hanc in Tibiis lingulam optime nobis explicat *Feſtus* : *Lingula per diminutionem linguæ dicta, aliàs à ſimilitudine linguæ exertæ ut in calceis: aliàs inſertæ, id eſt infra dente coërcitæ, ut in Tibiis.* Apud *Gellium* lib. 10. cap. 25. lingula dicitur pro gladio oblongo in ſpeciem linguæ facto. Lingula autem illa in Tibiis erat ſummè neceſſaria, utpote ſine qua inutilem Tibiam judicat *Chryſoſtomus* Homil. 43. *Quanquam ſi à tibia lingulas abſtuleris inutile deinceps jacet inſtrumentum.* Ideoque *Scholiaſtes Pindari* pro miraculo de quodam Tibicine refert, eum in agone, cum excidiſſent tibiales lingulæ, ſolis arundinibus cantum peregiſſe. Apud *Pollucem* lib. 4. cap. 9. Vilis tibia deſcribitur, ἄγλωττος, ἄφθογγος, ἀραιὸς, διάβροχος, ἔξαυλος. *lingulæ expers, inſonora, tenuis, madida, inepta.* *Euripides* lingulam

gulam] Tibiarum Ἀηδόνα metaphoricè dixit teſte *Heſychio*: Ἀηδόνα, γλωσσίδα μεταφορικῶς, Εὐελπίδης οἶδί ποσι, καὶ τοὺς αὐλοὺς, λωτίνας ἀηδόνας πῶ ἔφη. Ad ſonos flectendos multum has lingulas feciſſe judico ex *Plinio* lib. 36. *Arundo apertioribus lingulis ad flectendos ſonos.* Nonnulli volunt *Pollucem* prodidiſſe aliarum tibiarum partes eſſe lingulas & foramina, bombycis verò Tibiæ ὅλμους, & ὑφόλμια. Quaſi in bombyce præterea fuerint ὅλμοι, & ὑφόλμια. Alii hic βόμβυκες ſumunt pro arundinis fœminæ ſpecie, ex qua fiebant tibiarum lingulæ. Cæterum ὅλμοι in Bombyce tibia, videtur eſſe τὸ στόμα. Unde *Polluci* laudatur εὔστομος αὐλὸς lib. 2. cap. 4. tit. 23, Εὔστομος ἵππος, καὶ αὐλὸς, καὶ ᾆσμα. καὶ ἄστομος ἵππος, αὐλὸς, ὁ ἄγλωττος, *Pulchrum os habens equus, & tibia, & cantilena. Indecoro ore præditus equus, ſic & tibia, quæ aliàs elinguis dicitur.* Hæc pars etiam καταστομὶς *Heſychio* dicitur: Καταστομὶς μέρος τι τοῦ αὐλοῦ τὸ ἐνόλβιον, *Pars tibiæ quæ ad os admovetur.* ὑφόλμιον

pars

pars erat Tibiæ ſub lingulis, imo ipſæ lingulæ teſte *Heſychio* : Ὑφόλμιον μέρος τι τοῦ αὐλοῦ πρὸς τῷ στόματι, ἢ αἱ γλωττίδες. Primam verò Tibiæ partem unde lingulæ pendent, elymum vocat *Heſychius* : ἔλυμοι τὰ πρῶτα τῶν αὐλῶν ἀφ' ὧν ἡ γλωσσίς. Quod pro ipſa tibia Phrygia apud *Pollucem* eſt, atque *Athenæum.*

CAPUT VI.

Tibiarum *Species & Varia Diſcrimina.*

TAm diverſa Tibiarum genera apud Veteres occurrunt, ut earum diſcrimina paucis indicari non poſſint. Si enim diligentius Antiquorum monumenta inſpiciamus, tot earum differentias reperiemus quot vel inventores diverſi inferre poſſint, vel regiones ubi vigebat uſus, vel ſonus, vel materia, numerus, figura & uſus varii poſtulabant. De differentiis

rentiis ab Inventoribus diverſis deſumendis edocemur abunde à *Jul. Polluce*, ut alios taceam ex quibus mox varias Tibiarum ſpecies proferemus. Apud illum lib. 4. cap. 10. tit. 1. Tibiarum ſpecies occurrunt, πλάγιος, λώτινος, *obliqua*, *lotinea*; Libycorum inventum, qui hanc πλαγίαυλον nominant. Ἔλυμος, cujus materia è buxo, & inventores Phryges. Ἱπποφόρβος, quam Libyæ tuguria habitantes invenerunt. Hac enim, eodem teſte, apud equorum paſcua utuntur, ejuſque materia decorticata laurus eſt, atque acutiſſimum dat ſonum, & equorum acrimoniæ convenientem. Μόναυλος, Ægyptiorum inventum, qua maximè nuptiale carmen canitur. Θρηνητικὸν enim ſeu lugubrem tibiam Phryges invenerunt, qua ab ipſis accepta Cares uſi ſunt, apud quos tibiæ cantus lugubris erat. Præterea apud eundem *Pollucem* Θήρειος αὐλὸς, *ferina tibia*, quam Thebani ex hinnuli membris compegerunt, & hujus exterior pars

ære

ære inducta erat. Γίγγρας, lugubrem & flebilem vocem fundens tibia, quoad inventionem Phœnicea. Nam Phœnicum lingua Adonin Gingram vocant, unde tibia nomen deſumpſit. Σύριγξ ἐκ καλάμων, *Arundinea ſyrinx* Gallis maxime competebat & Oceani inſulanis, ſed apud Ægyptios, ut pergit *Pollux*, Πολύφθογγος αὐλὸς, *multiſonans tibia*, Oſiridis inventum eſt. De hac *Claudianus* de 4. Honor. Conſul.

—— *Varioſque modos Ægyptia ducit*
Tibia.

Ἀθηνᾶ, Athenæ tibiæ genus, quo Nicopheles Thebanus ad Minervæ hymnum inprimis uſus. Cornu Tyrrheni canebant. Scythæ autem & inter hos maximè Anthropophagi, Melanchlæni & Arimaſpi, aquilarum vulturumque oſſa Tibiæ in morem inflabant. Has ex gentibus ſpecies varias recenſet *Pollux*, ſed illas fuſius poſt eum perſequitur eruditiſſimus *Scaliger* de Arte Poetica lib. 1. cap. 10. quo Lectorem re-

remittimus, modo nominatas & alias inſuper Tibiarum differentias ibi inventurum.

Apud *Athenæum* non minorem numerum reperies à gentibus variis deſumptum. Gingras tibias, quibus ex *Xenophonte* Phœnices uſos refert, deſcribit lib. 4. Deipnos. palmum longas, ſtridulum ſonum & lugubrem edentes, quibus etiam Cares mortuos lugere cum *Polluce* conſentit; ſed anne Caria Phœnice vocata ſit, dubitat ex authoritate *Corinnæ* & *Bacchylides*. Adonin autem Phœnices Gingren nuncupaſſe ex *Ariſtophane*, *Menandro* & aliis evincit; Atque γίγγραντα luctuoſa carmina & grande aliquod malum ſignificaſſe ex *Axionico*. De origine & uſu harum tibiarum paria tradit *Euſtathius* qui in lib. 17. Iliad. ex Xenophonte ait γιγγραίνους αὐλοὺς σπιθαμαίους εἶναι, palmi ſeu dodrantis longitudine eſſe apud Phœnices, acutum & luctuoſum ſonantes, quibus Cares utebantur. Uſum autem earum à luctu

Ado-

Adonidis fluxiſſe, quem *Gingrin* Phœnices vocant. In Vet. autem Gloſſis γίγγρον φωνὴ χηνός *gingron vox anſeris.* Et apud *Feſtum*: *Gingriunt anſeres.* Itaque ex ſoni forſan ſimilitudine etiam dici ita poſſet tibia hæc, quæ parvula & tyronibus artis accommodata deſcribitur ab *Heſychio*: Γιγγρεῖαι αὐλοὶ μικροὶ, ἐν οἷς πρῶτον μανθάνουσι. Inde apud Veteres Tibicen *gingriator* dictus. Affini voce apud Ægyptios Ginglarus habita eſt, puſilla tibiola ſono acuto, ad monodias, teſte *Scaligero* & ante eum *Polluce*. Eorundem Ægyptiorum inventum fuiſſe μόναυλον ex *Polluce* vidimus, & quidem Oſiridi ejus inventionem adſcribit *Athenæus* lib. 4. ubi etiam Hymenæum monaulo accini dicitur, & ſuaviſſimi concentus ſummiſſa voce monaulo meditari & cantillari. Unde *Apulejus* de puero Critia monaulo:

Quod ſi aulum inſpiras dona & jam
carmina noſtra
Cedant victa tuo dulciloquo calamo.

In

In conviviis autem frequentem fuiſſe ex *Athenæo* liquet lib. 15. *quibus photingia & monaulia comeſſationis inſtrumenta, non belli addiderant.* Et hoc ſenſu *Martialis* lib. 14.

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis,
Sæpe duas pariter, ſæpe monaulon habet.

Erat autem μόναυλος tibia ſingularis ad differentiam τοῦ ζεύγος cum binæ ſimul inflarentur. Alio nomine monaulon Tityrinen appellari innuit ibidem *Athenæus*, & Dores Italicos ita vocitaſſe tibiam è calamis factam refert ex *Artemidoro* & *Ariſtophanio*. *Heſychius* τιτυρ. calomum eſſe vult. Et alibi: τυρίκυλοι dicuntur αὐλοὶ καλάμινοι. Ubi lege potius πιτυρινοί: Ita enim *Euſtathius*: Μόναυλος κάλαμος καὶ λύμβυος πιτυρινὸς τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ Δωριεῦσι, εἴτ᾽ οὖν σατυρινός· ὁ δὲ μόναυλος, καὶ καλαμαύλης φασὶ, καὶ ῥαπαύλης ἐλέγετο. Quod de arundinea tibia ille prodit confirmatur ab *Athenæo*, apud quem Deipnos. lib. 4.

καλαμαύλην monaulon quondam fuiſſe patet ex Hedylo in Egigramm. apertè ita diſſerente, ſed apud nos hic per Interpretem:

Hoc Thenon monaulos ſub tumulo feſtivus ſitus eſt
Tibicen, mimorum etiam in pulpitis ipſa gratia,

Et mox: ——— *At Theoni*
Calamaulitæ jam dicite, Vale Theon.

Et quemadmodum, illos qui calamo cecinêre καλαμαύλας vocarunt, ſic & ἰαπαύλας illos qui ſtipulam inflarunt, ut ex Gloſſis Veterib. colligit *Athenæus* lib. 4. ἰαπάλη enim *calami ſpecies* apud *Heſychium*, & qui illo canebant ἰάπαυλοι. Calami primum videntur fuiſſe quales ab *Ariſtotele* deſcribuntur lib. de Reſpir. cap. 9. *Cicadæ attritu, qui fit ad pelliculam bombum edunt, qualem pueri per calamos perforatos, cum tenuem pelliculam impoſuerint.* Affinis denominatio illius Tibiæ fuiſſe videtur, quæ δράκαυλος dicta apud Lacones, qua Draconem Mi-

Minerva cantu delinivit apud *Heſy-chium.*

Quas obliquas & lotinas tibias dicit *Pollux* à Libycis inventas, *Athenæus* lib. 4. Oſiridi Ægyptio tribuit, & φώτιγγα πλαγίαυλον vocat, innuit enim alibi Lotinas tibias Alexandrinis Photinges nominatas, & è loti ligno, quod in Africa naſcitur, confectas. Unde λωτὸς pro tibia Græcis Latiniſque Poëtis. *He-ſych.* Λίβυς ἢ λωτὶς, ὁ ἀπὸ τῆς Λιβύης αὐλός. *Servius*, quam Græci πλαγίαυλον vocant, Latinis eſſe vaſcam tibiam obſervat in locum *Virgil.* Æneid. 11.

Aut ubi curva choros indixit Tibia Bacchi,

hanc tibiam Græci vocant πλαγίαυλον *Latini vaſcam tibiam.* De hac autem vaſca tibia accipiendus eſt *Solinus* cap. 11. *Sive vaſcas quæ foraminum numero præcentorias antecedunt.* Niſi plus largiamur lectioni *Scheg Kii*, qui Præmiſſ. Epiſt. 11. ita: *Non tamen diſſimulo ſcripturam noſtri libri:* Aſtas, *quæ ſi proba, intelligit aſſas tibias,*

tibias, quæ ſive voce, ſive, ut Servius alicubi ait, quibus canitur ſine chori voce. Aſſa *autem &* Aſta *eadem, ut* aſſare & aſtare. *Ennius apud Varronem: Subulo finitimas propter aſtabat aquas.* Vaſcæ Tibiæ præcentorias foraminum numero antecedebant, ſi credimus *Plinio* lib. 8. cap. 55. Ex quo ſine dubio *Solinus*. In veterib. Gloſſ. vaſca μελετητικὸς αὐλὸς i. e. *tibia qua tyrocinia artis tibicine periclitantur.* Quibuſdam eſſe videntur phonaſcæ vel phonaſcicæ, quibus phonaſci modos vocis regebant. Tonarium vocat *Fabius* lib. I. capit. 10. Πλαγίαυλος à figura autem & obliquitate nomen accepit, quia apud *Ælianum* πλάγιος αὐλὸς diſtinctis & ſeparatis verbis dicitur lib. 6. de Animal. cap. 19. Ἡ κίττα δὲ οὖν καὶ τῶν ἄλλων φωνημάτων μιμηλότατόν ἐστι, τοῦ δὲ ἀνθρωπικοῦ πλέον. καὶ ὁ μὲν ἄνθρωπος ὑποτίθεται χρεμετισμὸν ἵππου. τὴν σάλπιγγα δὲ ἡ ὁμώνυμος, καὶ τὸν πλάγιον ἡ ἴυγξ αὐλόν, i. e. *Pica autem cum alias voces tum maximè humanam imitatur. Florus Equi*

hinnitum:

binnitum: Salpinx Tubæ ſonitum & Torquilla obliquam tibiam repræſentat.

Ab hac diverſa erat Phrygia Tibia quæ tamen ipſa curva & obliqua erat. Græcè Ἔλυμος dicebatur, ut apud *Pollucem Athenæus* etiam Ἐλύμους interpretatur Φρυγίους αὐλοὺς, lib. 4. *At Elymos, quorum meminit Sophocles in Niobe & Tympaniſtis, non alias eſſe remur tibias, quàm Phrygias, quarum uſum Alexandrini quoque non ignorant, velut & διό-πων & τὸν μεσόπων, & earum quas ὑπερτέλειους nominant. Elymorum meminit Callias in Vinctis. Juba tradit à Phrygibus repertas fuiſſe, vocarique etiam Scytalias ob earum craſſitiem parem ſcytalis Laconicis. Illos in uſu quoque Cypricis eſſe Cratinus junior in Theramene ſcribit.* Dicta etiam eadem eſt Berecynthia Tibia, quia Berecynthus nomen erat montis & oppidi in Phrygia. De Phrygiis Tibiis *Nonius Marcellus* de Propr. Serm. cap. 2. *Cymbaliſſare, cymbala quatere. Caſſius Hemina lib. 3. Mulier cantabat*

bat Tibiis Phrygiis & altera cymbaliſſabat. Teſte *Polluce* tam plagiaulo quam Elymo additum eſt κέρας ἀνανεῦον, *cornu adnutans*, de quo nos cap. 5. pluribus. Unde etiam Græci κέρας tibiam Phrygiam appellarunt, & κεραῦλαι tibicines, qui ea canerent. *Heſychius*: Ἐγκεραυλῆσαι, τὸ αὐτὸ προσκειμένου γὰρ τοῦ κέρατος τοὺς αὐλοὺς ᾖδον ὅθεν καὶ ἐγκεραύλης.

Ad Phrygiam harmoniam erat adaptata tibia Mygdonia, de qua *Theocrit.* Eidyll. 19. Et *Nonnus* Dionyſ. lib. 15.

Καί τις ἀπειρήτως ἐνὶ χείλεσι λωτὸν ἐρείσας
Δίθροον ἁρμονίην ἐμελίζετο Μύγδονος αὐλοῦ.

Et quiſpiam immenſis in labiis lotum firmiter teneris
Duplicem harmoniam cantabat Mygdonis tibiæ.

Illius videtur meminiſſe *Catullus*:

Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.

A vario Tibiarum uſu & ſono varias earundem ſpecies recenſet *Solinus* Polyhiſtor. cap. 5: Thermitarum locis inſula eſt harundinum ferax, quæ

accommodatiſſimæ ſunt in omnem ſonum *tibiarum*, ſeu *præcentorias* facias, quarum locus eſt ad pulvinaria præcinendi, ſeu *Vaſcas*, quæ foraminum numeris *præcentorias* antecedunt: ſeu *puellatorias*, quibus à ſono clariore vocamen datur: ſine *gingrinas*, quæ breviores licet, ſubtilioribus tamen modis inſonant, aut *milvinas*, quæ in accentus exeunt acutiſſimos: aut *Lydias*, quas & *thurarias* dicunt: vel *Corinthias*, vel *Ægyptias*, *aliaſve à Muſicis per diverſas officiorum ac nominum ſpecies ſeparatas*. De milvinis conſentit *Feſtus*: *Milvina, genus tibiæ acutiſſimi ſoni.* De Præcentoriis & thurariis hanc animadvertit differentiam *Turnebus* Adverſ. lib. 17. cap. 20. *Præcentoriæ*, inquit, *dicebantur Tibiæ, quibus ad pulvinaria præcinebatur, & thurariæ, quæ eædem Lydiæ, quibus cum thus in aram indebant nec immolabant hoſtias, utebantur.* Plurima alia Tibiarum genera ſecundum plurimos earundem uſus occurrunt apud *Jul. Pollucem* in

in Onomaſt. lib. 4. cap 10. tit. 3: *Ad hymnos autem idoneæ erant* Spondiacæ, *ad Pæanes* Pythicæ, *quas & perfectas nominabant canebant autem ineptum illud carmen Pythicum.* Choricæ *verò Dithyrambis conveniunt. Et ad* parthenias *Tibias ſaltabant virgines.* Puerilibus *verò pueri accinebant. Tibiæ autem* perfectiſſimæ *Virorum choris competebant. Quæ autem* Cithariſtriæ *dicuntur citharæ accinunt.* Paratretæ, παρά τρητοι, *luctui conveniebant acutè & lentè inflatæ.* Et mox: *Nonnulli etiam* ἐμβατηρίους αὐλοὺς, Tibias gradarias, *vocarunt eas quibus in itineribus utuntur, &* dactylicas, δακτυλικοὺς, *quæ ad ſaltationes ſpectant. Alii verò hæc non tibiarum, ſed modulationum & carminum ſpecies eſſe ajunt. Tibias verò* ſubtheatricas, ὑποθεάτρους, *ad modos Tibicinum retulerunt. Sed Syrii aſperum quiddam & forte flare videntur.* Ginglarus *autem* (γίγγλαρος) *parva quædam Ægyptia Tibia eſt, ſimplici melodiæ conveniens. Et ſcytalia parvarum tibiarum*

nomina ſunt. Hactenus *Pollux*. De Virginalibus, puerilibus, & virilibus conſentit *Athenæus* lib. 4 ubi de Alexandrinis loquitur: *verum etiam in tibiarum luſu, quem præcipuè callent, non earum ſolum quas Virginales & Pueriles nuncupant, ſed illarum etiam quas Viriles nominant, & cithariſterias & Dactylicas: Viriles autem Perfectas alias vocant, alias pluſquam perfectas*. De Cithariſteriis *Athenæus* lib. 4. *Haud me latet eſſe quoque alia genera tibiarum, nempe Tragicas, Lyſiodas, cithariſterias, quarum meminit Euphorus libro de Inventis, & Euphranor Pythagoricus de tibiis libro*. Cithariſteriam *Magadin* vocat *Heſychius*, μαγάδες αὐλοὶ κιθαριστήριοι. *Magades* autem & *Palæomagades* Tibiæ erant, quæ acutum & gravem ſonum efficiebant. Unde apud *Athenæum* lib. 14. Vetus verbum: μαγάδις λαλήσω μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγα, *loquar, ut Magadis, acuta & gravi voce*. De hac verò apud eundem dubitatur

tatur cithara ne fuerit an Tibia, cum Anacreon alicubi dixerit.

Ψάλλω δὲ εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων

Magadin habens viginti fidibus cano.

Ion verò Chius in Omphale quaſi de Tibia ſic ait:

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.

Lydia Magadis Tibia voci præeat.

Cæterum ea de re lege uberrimè diſſerentem *Athenæum* libro citato, & *Euſtathium* in lib. 17. Iliad.

Ex hoc tibiarum genere apparet, quod quædam fuerint quæ modo acutum modo gravem ſonum ediderint, prout vel variè inflatæ vel in inflatis ſonus variè moderatus eſt. Et hos qui flexibili Tibiarum cantu utuntur *Camptaulas* interpretatur *Rhodiginus* lib. 12. cap. 5. at *Donatus* in *Vopiſcum* exponit, qui obliquis ſeu flexis concinunt, ſiquidem αὐλὸς Tibia, & καμπτὸς flexibile. Cæterum alii καμπταύλην volunt eſſe tibicinem inflexæ modulationis artificem: nam κάμπτειν *Heſy-*

chius interpretatur κάμπτας ἐν τῇ διᾳ-ποιεῖν. Ut enim aſſa vox in cantu cum flectitur varietatem facit modulationis (quod qui faciunt eos *Ariſtophanes* in Nubib. Act. 1. Sc. 1. ἀσματοκάμπτας, *cantus flexores*, vocat, & apud *Tibullum*: *Voces inflectere cantu*) ita in tibiarum cantu ſpiritus artificis vertitur, ut varios edat ſonos. Ad quam rem apprimè *Plautus* Mercator. Act. 1. Sc. 2.

Perii, animam nequeo vertere, nimis
nihili tibicen ſiem.

Anima, ſpiritus eſt quo calamus inflatur. *Varro*: *Phrygio per oſſa cornu liquida canit anima.* Alii hic, *Phrygius cornus*, legunt. Inde πολυκάμπτης αὐλὸς de qua *Apulejus* in Floridis dicit, veterem tibiarum muſicam non tam *flexanimo ſono* cani ſolitam. Nonnulli hic legunt: *Nondum quidem tam infeſſa animæ ſono, nec tam pluriformi modo, nec tam multiforabili Tibia.* Ad hos in Tibiis varios modos flectendos non ſolum numerus foraminum

mul-

multum contulit, ſed etiam lingulæ apertiores, ut ex *Theophraſto* liquet, de harundinum ad tibias ſectione, & *Plinio*: *apertioribus earum lingulis ad flectendos ſonos.* Tales igitur Camptaulæ dicti ſunt, quos centum habuiſſe Carinum Imperatorem *Flavius Vopiſcus* prodit, in quem conſule *Salmaſium.* Neſcio autem quo jure *Turnebus* Adverſ. lib. 11. cap. 25. Camptaulæ vocem planè Græcam à Græcis ipſis non agnoſci dixerit, & ideò tanquam irreptitiam non accipit, ſed ejus loco, *Aſcaulæ*, ponit, ut ſint qui inſtrumentum muſicum utriculum imitarentur.

Erant etiam aliæ Tibiarum breves, aliæ longiores, aliæ mediæ. De ultimis *Heſychius*: μεσόκοποι αὐλοὶ οἱ ὑποδεέστεροι τῶν τελείων, μέσοι, *Tibiæ mediæ breviores perfectis & longis.* Breves erant puellatoriæ & pueriles, quæ etiam ἡμίολοι dicuntur *Athenæo* lib. 4. Erant autem *ſemiplenæ* hæ Tibiæ minores *plenis & perfectis.*

Heſychius : ἡμίολοι αὐλοὶ οἱ μὴ τέλειοι ὑποτεταγμένοι τοῖς τελείοις Callimachus illas graciles vocat in Diana.


Longæ Tibiæ erant turariæ & præcentoriæ. De iis proverbium illud apud *Xiphilinum* in Othone : *quid opus erat me longis tibiis canere*, ubi quis aliquid parum ad rem facit. Βόμβυκες autem erat longiſſimæ genus Tibiæ, ut ex *Ariſtotele* colligo, lib. de Audit. *omnes enim difficile implent Bombycas, idque cum magna intenſione ob longitudinem.* Earum meminit *Pollux* lib. 4. cap. 10.

Tibiæ longæ apud *Marium Victorinum* ſunt, quibus ſupplicantes utebantur in templis, ita enim ille de ſpondæo: *Dictus à tractu cantus ejus qui per longas Tibias in templis à ſupplicantibus editur. Unde ſpondaulæ appellantur, qui hujuſmodi Tibias inflare aſſueverunt. Spondiales* nominat *Iſidorus* Orig. lib. 1. cap. 16. unde *Ciceroni* lib. 2. de Orator. *Spondialia* carmina. Et σπονδαῦλοι, & σπονδειακοὶ

αὐλοὶ

αὐλοὶ Polluci, Latinis autem *Spondaulæ.*

Ut à ſpondiacis tibiis Spondaulæ, ita qui cum choro tibiis cecinerunt Choraulæ dicti. Olim quippe in comœdiis quando chorus canebat, choricis tibiis artifex concinebat, atque is choraules dicebatur, ut refert *Diomedes* lib. 3. poſtea choraulæ à comœdia ſeſe ſegregarunt, & res ſuas partesque ſeorſim in ſcena agere cœperunt, ut chorum etiam ſuum habuerint, quem ſeptem cantoribus conſtitiſſe liquet ex *Hygino*: *Pythaules qui Pythia cantaverat, ſeptem habuit palliatos, qui voce cantaverunt, unde poſtea appellatus eſt choraules.* Apud *Flavium Vopiſcum* memoratur Carinus Imperator exhibuiſſe centum ſalpiſtas uno crepitu concinentes & centum camptaulas, *choraulas* centum. Choraulas autem magna in æſtimatione fuiſſe conſtat ex illo, qui à Galba eximium præmium reportavit; cum illum in ſcena delectaſſet, quod me edocet *Suetonius*


Θ
K
ΤΥΧΙΚΩΙ
ΑΠΕΛΕΙ
ΧΟΡΑΥΛΗ.

in Galba cap. 12. *Cano Choraulæ mirè placenti denarios quinque donavit prolatas manu ſua è peculiaribus loculis ſuis.* Iſmeniam celebrem Tibiarum cantorem Choraulem vocat *Plinius* lib. 37. cap. 1.

Marmor in via Appia repertum, & Choraulæ cum Inſcriptione Græca dicatum, è regione exhibeo, quod in Libro Fulvii Urſini manu exarato, qui in Bibliotheca Vaticana áſſervatur, ita delineatum inveni. Infra inſcriptionem corona çernitur, quæ ipſum in certaminibus Victorem fuiſſe denotat à latere duplices Tibiæ. Ex eodem Ful. Urſini Libro, elegantem Choraulæ ſtatuam ſequenti paginâ dabo, in Via Appia itidem repertam cum hac Epigraphe:

Θ. K.

ΜΥΡΙΠΠΝΩ. ΝΑΝΩ.

ΧΟΡΑΥΛΗ.

De Choraule non prætereunda eſt, quæ apud *Gruterum* legitur, Inſcriptio Antiqua, Pag. 1035. quam parum diverſam & magis emendatam mihi


ΜΥΡΓΙΠΝΩ ΝΑΝΩ
ΧΟΡΑΥΛΗ.

Romam Lugduno in Galliis tranſmiſit Cl. *Jacobus Spon*, in his rebus verſatiſſimus;

HERIÆ THISBE
MONODIARIÆ
T. CLAUDI GLAPHYRI
CHORAULÆ
ACTIONICÆ
ET SEBASTIONICÆ
TERRENUM SACRUM
LONGUM P. X. LAT. P. X.
IN QUO CONDITA EST
FODERE NOLI NE
SACRILEGIUM COMMITTAS.

Ita etiam hanc inſcriptionem ex autographo Romæ in vinea Burgheſii emendavit *Raphaël Fabrettus*, niſi quod pro SACRUM, legat, SACRATUM.

Dicti vero primò erant quod in choro Tibia canerent, at interdum video ad alia etiam vocatos eſſe. In conviviis cecinisſe, autor mihi erit *Martialis* qui lib. 9. cap. 79. convivium laudat quod ſine choraule fit, forſan propter ſonum obſtrepentem auribus infeſtum:

Quod

Quod optimum ſit quæritis convivium?
In quod Choraules non venit.

In ſacra Barbarorum choraulas inducecere videtur *Apulejus* de Deo Socratis: *Uti Ægyptia Numina fermè plangoribus, Græca plerumque choreis, Barbara autem ſtrepitu cymbaliſtarum, tympaniſtarum, & choraularum.* Ubi tamen *Salmaſius* mavult, *Ceraulæ*, cum, ut ſupra etiam notavimus, Choraulæ ad choros & choreas pertinerent, quæ Græcorum ſacris convenerunt, non Barbarorum; at ceraulæ cum cymbaliſtis & tympaniſtis ſacris Phrygiis & Barbaris rectiùs inferantur. Cæterum ad his in ſacris non abſtinuit alibi *Apulejus* Metam. lib. 8. *Erat quidam juvenis ſatis corpulentus, Choraula doctiſſimus, collatitia ſtipe de menſa paratus: Qui foris quidem circumgeſtantibus Deam cornu canens adambulabat.* Ubi videmus choraulam expreſſè nominari, qui tamen cornu canens inducitur, quaſi idem eſſet, choraula & ceraula, niſi & huic loco uſitata

Autori vocula reſtituenda ſit, nempe *ceraula*, ex Florid. lib. 1.

Sed ut ad varias Tibiarum ſpecies revertamur, Tibias longas, quibus in ſacris uſi ſunt, jam vidimus; de ſymphoniacis tibiis nos alibi, quas minimas vocat *Petronius* in Satyrico: *Quum ergo adferretur, ad caput ejus cum minimis ſymphoniacis tibiis acceſſit, & tanquam in aurem aliquid diceret, toto itinere cantavit.*

Alias ab acuto & ſtridente ſono Latini *Serranas* Tibias appellavêre ab acuto ſerræ ſtridore aut ſerrante ſono, ut opinatur *Turnebus* adverſ. lib. 28. cap. 34. Quamvis alii malint Sarranas à gente ita dictas, ut à Phrygibus phrygias, nimirum à Sarro, eo enim nomine Tyros olim vocabatur. Unde Pœnos Sarra oriundos *Ennius* dixit, ſi *Probo* credimus. Hæ pares erant & æqualia obtinebant foramina, alias autem Tibias impares numero foraminum diſcernit *Feſtus*. Quæ autem pares aut impares Tibiæ fuerint inter

eruditos

eruditos non convenit. Alii exiſtimant ab æquidiſtantibus aut inæqualibus foraminibus, vel intervallis dictas eſſe. Alii, inter quos *Scaliger*, pares Tibias dictas volunt, cum duæ ejuſdem magnitudinis & toni inflarentur: impares cum unica tantum caneret.

Erant etiam aliæ Tibiæ dextræ, aliæ ſiniſtræ, ſive à manu, qua tenebantur, diverſæ, ſive à ſono, quem alii ſiniſtræ acutum & dextræ gravem, alii autem ſiniſtræ graviorem & dextræ acutiorem tribuunt. De illis *Brodius* Miſc. lib. 1. c. 2. *Varro* de R. R. lib. 1. c. 1. incentivam & ſuccentivam vocat: *Certe inquit Fudanius, aliud paſtio & aliud agricultura, ſed affinis. Et ut dextera Tibia alia quàm ſiniſtra, ita ut tamen ſit quodammodo conjuncta, quod eſt altera ejuſdem carminis modorum incentiva, altera ſuccentiva.* Judice *Petr. Victorio* Var. Lect. lib. 38. cap. 22. vocabantur Tibiæ dextræ quæ dextra parte oris manuque dextra tenebantur, eodemque pacto ſiniſtræ, quæ contraria parte

oris &

oris & manus: dextris verò ſiniſtriſque dicebatur is uti tibicen, qui ſimul ambas inflaret. Ex *Aldo Manutio Pauli F.* lib. 3. de Quæſit. per Epiſt. 4. dextræ Tibiæ erant, quæ dextra hiſtriones ſpectabant, ſiniſtra ſcilicet ſpectatores. Siniſtræ contra quæ ſiniſtra hiſtriones, dextra ſpectatores. De utriſque eundem diſſerentem huc advocabo: Opinor, inquit, *ſiniſtras gravem ſonum reddidiſſe, dextras acutum. Siniſtræ enim ex ea arundinis parte fiebant, quæ proxima terræ naſcitur, quæ cum craſſior ſit & foramen latius habeat, quam quæ longinquior à radice eſt, graviorem ſonum reddat neceſſe eſt: dextræ autem ex ſuperiore arundinis parte fiebant. Teſtis* Plin. *lib.* 16, *c.* 36. *Hinc legas, Acta eſt tibiis dextris & ſiniſtris, id eſt ſono acuto & gravi, tibiis utrinque conſtitutis. Ubi autem legitur, Paribus dextris & ſiniſtris, Sarranas ſignificat dextrorſum ſiniſtrorſumque poſitas, quæ pares vocabantur, quod foraminis caverna, ut ait* Servius, *par erat;*

erat; ideoque ſonum parem reddebant, ut Phrygiæ impares, quod cavernam imparem habebant, ex quo ſonum reddebant imparem: acutum ſcilicet partim, & partim gravem. Ex quo Servius *interpretans illud* Virgilii *lib.* 9. biforem dat Tibia cantum, *explanat biformem, diſſonum, imparem, & diſſimilem, juxta Phrygiarum tibiarum naturam, quæ hoc à Sarranis diſtabant, quod, ut ait* Servius, *cavernam foraminis imparem habebant, ut Phrygiæ diſtabant, quod dextræ unicum foramen habebant, ut ſonitu uniformi ſonarent: ſiniſtræ verò duo, quorum unum gravem alterum acutum ſonum reddebant.* Pergit poſtea idem *Manutius: Si Sarranæ pares ſunt & Phrygiæ impares ob foraminis æqualitatem, inæqualitatemque, quod ait* Servius, *manifeſto patet Sarranas tam dextras quam ſiniſtras eſſe poſſe: quales in Andria* Terentii *fuiſſe exiſtimo, ideoque in inſcriptione legitur, Tibiis paribus dextris & ſiniſtris id eſt, Sarranis. Et in Adelphis, ubi legitur, Tibiis Sarranis, eaſdem opinor*

fuiſſe

fuiſſe cum paribus dextris & ſiniſtris. Et in Phormione, Tibiis imparibus, explano, Tibiis Phrygiis dextris, & ſiniſtris. Hanc opinionem meam id confirmat, quod nunquam reperi Phrygias & Sarranas nominatas, una cum paribus aut imparibus, quod indicio eſt paribus ad indicandas Sarranas, & imparibus ad Phrygias ſatis fuiſſe.

Alias Tibias non niſi nomine tenus recenſuêre autores, de quibus præter nomen nihil proditum reperire licuit, tales ἰδυθοὶ, quæ etiam inter Tibiarum ſpecies recenſentur à *Polluce* lib. 4. cap. 10.

Sed nos paulò fuſius per Tibiarum genera varia evagati ſumus, alia adhuc addituri, niſi ea ex *Gyraldo* Poët. Dialog. 6. *Bullingero* lib. de Theatro, *Scaligero* in Poët. *Ariſtotele* Polit. lib. 8. *Alexandro ab Alexand.* Gen. Dier. lib. 4. cap. 17. *Polluce*, *Athenæo* & paſſim aliis abundè peti poſſent.

CA-

CAPUT VII.

De Arte Tibias *inſlandi.*

Tibicinum officium in flando exſtitit: unde *Feſto: Flator, Tibicen.* Et apud *Arnobium* lib. 2. Adv. Gent. *Tibia calamoque flatantes*, pro tibicinibus. Sic Tibias inflare dixêre Latini, ubi uſus Tibiarum exprimendus fuit. *Tertullianus* adverſ. Marcionem lib. 2. *Nec tu enim ſi in Tibiam flaveris, hominem Tibiam feceris, quanquam de anima tua flaveris, ſicut & Deus de ſpiritu ſuo.* Non abſimili loquendi modo Apulejus lib. 6. *Ut Muſæ quidem chorum canerent, Tibias inflaret Satyrus, & Paniſcus ad fiſtulam diceret. Arnobius* lib. 2. *ut inflandis bucculas diſtenderent Tibiis.* Atque eleganter *Claudianus* Panegyr. de Conſul. Manl. Theod.

Qui nutu manibuſque loquax, cui Tibia flatu,
Cui plectro pulſanda chelys.

Ita

Ita etiam Græci. *Euripides* Phœniſſ.

Λωτοῦ κατὰ πνεύματα μέλπη.

Tibiæ per flatus ſuaviter canis.

Interdum tamen pro *inflare*, *ad Tibias dicere* Latini uſurpant, ita *Lampridius* in Heliogabalo: *Ipſe ſaltavit, cantavit, ad Tibias dixit, tuba cecinit, pandurizavit, organo modulatus eſt.* Sic *Apulejus*: *ad fiſtulam dicere.* Eidem Tibia *jugere* dicitur lib. 5. Metam. *Jubet citharam loqui, pſallitur: Tibias jugere, ſonatur: choros canere, cantatur. Quæ nullo præſente cunctos dulciſſimis modulis animos audientium remulcebant.* Interdum etiam *canere* dicitur is qui Tibias inflat. *Cic.* lib. 2. de Orat. *Quemadmodum Tibicen ſine Tibiis canere, ſic orator ſine multitudine audiente eloquens eſſe non poteſt.* *Gellius* lib. 5. cap. 1. *Tum ſcias & qui dicit & qui audit fruſtra eſſe, neque ibi Philoſophum dicere, ſed Tibicinem canere.* Et *cantus Tibiarum*, *Solino* cap. 24. aliiſque. Unde tibicines ὑπ' αὐλὸν ᾄδειν, dicuntur apud *Plutar.* lib. de Aud.

Et

Et idem ex *Corn. Nepote* liquet in Præf. *ſcienterque tibiis cantaſſe.* Atque hinc etiam colligo artem fuiſſe Tibiarum cantum, quam quidam ſcienter, quidam verò indoctè callebant. Non obſcurè illud innuere videtur *Lucianus* Dialog. Adv. Indoct. ubi quærit, ſi quis Tibia canendi artis prorſus ignarus forte nactus ſit Timothei Tibias, aut quas Iſmenias ſeptem talentis Corinthi emit, anne arte inflabit? vel nullus uſus huic rei erit, quia ſcitè uti nequit. Ita etiam *Calphurnius:*

——*Docili calamorum Nyctilus arte.*

Quam in ſententiam eleganter diſſerentem audiamus *Max. Tyrium* Diſſert. 16. ſed hic per interpretem: *Scientiæ namque ſucceſſionem diſciplina efficit: ipſe verò artis uſus non eſt ut ab arte ars fiat, ſed ut amphora à figulo, Tibiæ cantus à Tibicine, ab imperatore efficiatur victoria.* Ideoque Tibicines ab *Ovidio* artifices dicuntur Faſtor. lib. 6.

Adde

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Græcis τεχνῖται commune nomen muſicis, thymelicis, & hiſtrionibus. Ita apud *Gellium* lib. 20. cap. 4. Comœdi, Tragœdi, Tibicines & id genus artifices appellantur Græcè, οἱ περὶ Διόνυσον τεχνῖται. Præclarè Timotheus, tibicen ille nobiliſſimus, duplicem ab iis mercedem exigere ſolitus erat, quos antea ab illius artis magiſtris inſtitutos recepiſſet, ac ſimplicem ab iis qui rudes ei traderentur. Nam ut hi docendi, ſic illi prius dedocendi quam erudiendi videbantur.

Explerunt autem Artis hujus munus omne Tibicines, ſpiritu inflato & apto digitorum regimine, quo ſpiritus variè moderatus eſt in apertis vel clauſis Tibiarum foraminibus. Et non unam modò Tibiam, ſed & duas eodem flatu inſpirarunt, cujus rei indicium dat *Auguſtin.* tract. 19. in Joan. *Si unus flatus inflat duas Tibias, non poteſt unus*

unus ſpiritus implere duo corda, ſi uno flatu Tibiæ duæ conſonant. Jul. Pollux lib. 4. cap. 9. Ἐπὶ δὲ σύριγγος εἴποις ἂν, παράγειν ἐπ' αὐτῷ τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ στόματος, καὶ παραφέρειν, καὶ διασπείρειν τὸ πνεῦμα, *De ſyringe autem dicces, deducere in eam ab ore ſpiritum, deferre, diſpergere anhelitum.* Auram Tibialem hunc tibicinum ſpiritum nominat eleganter *Sidonius* lib. 19. Epiſt. 13.

Date ravulos Choraulas
Quibus antra per palati
Crepulis reflanda buccis
Gemit aura Tibialis.

Et quia ex flatu ſonitum emittit, *flamen* Tibiæ dicit *Horatius* lib. 3. Od. 19.

.... Cur Berecynthiæ
Ceßant flamina Tibiæ.

Suſurrus Tibiarum *Claudiano* in Feſcenn. v. 53.

Calamiſque flexuoſus
Leve Mincius ſuſurret.

Spiramen Tibiæ tribuit *Statius* Thebaid. lib. 8.

— Gemina æra ſonant, idæaque terga

Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Totam in inflandis Tibiis actionem tibicinum aptè adumbrat *Jul. Pollux* Onom. lib. 4. cap. 9. lib. 5. cujus verba ita interpres reddidit : *De Tibiis verò inſpirare & inflare dices; aut deflare & ſpiritum in Tibiam tranſmittere. Impletis maxillis, tumidis, inflatis elevatis, patulis, adhærentibus, ſpiritu repletis, aut ocioſo vultu, improbo, ignoranti deſcenſum ſpiritus.* Ex illis recenſitis nonnulla etiam inter canendum Tibiis occurrentia habet *Heliodorus* lib. 2. Æthiop. *Ea de cauſa quod illi intumeſcere genas inter canendum Tibiis* (ἐν τοῖς αὐλήμασι) *videbat, & vehementer inflando præter decorum ad nares exurgere, oculis incenſis ac ſuæ ſede excedentibus.* Quippe, quia magno niſu ſpiritus inflari debuit, buccæ, & genæ intumuerunt. Ita apud *Ariſtenetum* lib. 2. Epiſt. 6. ὡς αὐλητρίδος υἱὸς ἐξαίρεις τὰς γνάθους, *Velunt tibicinæ filius inflas buccas.* Ideoque in Vete-

rum ſacrificiis, & aliis paſſim marmoribus tibicines ſemper obſervantur inflatis buccis. Quæ quia deformitatem nonnunquam inferebant, à Minerva abjectæ Tibiæ memorantur. *Plautus* Sticho Act. 4. Sc. 6.

Age Tibicen quando bibiſti, refer ad labias Tibias,
Suffla celeriter tibi buccas quaſi proſerpens beſtia.

In laudem Tibicinis apud *Pollucem* lib. 5. cap. 9. tit. 6. dicitur ἔμπνους, εὔπνους, μέγα φυσῶν, μέγα πνέων, *benè ſpirans, inflatus, magnum ſpirans, valde inflans, ſolidum ſpirans.* Quemadmodum vilis Tibicen ἄπνους, ἀσθενής, *ſpiritu carens, infirmus.*

Non autem ſatis erat magno niſu inflaſſe, niſi ſonus debita proportione ſpiritus temperaretur. Quemadmodum apud *Athenæum* lib. 14. non ineptè Capheſias tibicen, cuidam ex diſcipulis ſuis altiſſimo ſono Tibiam inflare conanti dixit manu feriens, in ea ſoni magnitudine ſitam non eſſe artis bonitatem, ſed ut rectè ſonus in magnitudinem attollatur.

tur. Ideoque *Pollux* Tibicinem laudat pleno utentem ſpiritu in magnitudine, ſono, & robore, non immediatè conturbantem vultum. Spiritus etiam alteratio varia varios ſonos effecit, ſi credimus *Ariſtoteli*, qui lib. 5. de Generat. Anim. putat ſpiritum calidum craſſitudine ſua gravitatem vocis efficere, frigidum verò pro ſua tenuitate contrarium facere, illudque maximè in Tibiis patere, qui enim calido utuntur ſpiritu, illi talem emittunt, qualem Siticines & lamentantes graviorem ſonum inſpirant Tibiis, ex ejuſdem ſententia.

Spiritus, quo inflata eſt Tibia, juvatur ſæpe lingua atque labro. Ideoque *Lucretius* lib. 4.

Unco ſæpe labro calamos percurrit hiantes.

Et eodem ſenſu *Virgil.* Eclog. 2.

Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.

Sic etiam apud *Theocrit.* 24. Eidyll. χείλεα θλίβειν. *Pollux*: Plura etiam horum communia ad tibicinem perti-

nent, hic enim non modo εὔπνους, *benè ſpirans*, *ſed &* εὔγλωττος, εὔστομος, πυκνὸς, συνεχὴς, *lingua facilis, ore probatus, denſus, continuus.*

Maximè autem agili manuum miniſterio ſpiritus moderabatur unde in Tibiæ inflatione & oris & manuum artificium conjungit *Ovidius* Faſt. 6. de Tibia à Minerva abjecta:

Inventam Satyrus primum miratur, & uſum
Neſcit, & afflatam ſenſit habere ſonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras,
Jamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.

Ammian. Marcellinus lib. 30. *Cumque apponerentur exquiſitæ cupediæ, & ædes pulſu nervorum, articulato flatilique ſonitu reſonarent.* Totam hanc artem *Cyprianus* mirè expreſſit in lib. de Spectac. ſi aliàs hic liber ipſi jure adſcribendus ſit, ubi de Choraula in hanc loquitur ſententiam: *Alter cum choro & cum*

& cum hominis canora voce contendens ſpiritu ſuo, quem de viſceribus ſuis ſuperioribus nitens hauſerat, Tibiarum foramina modulans, nunc effuſo, & nunc intus recluſo, ac repreſſo, nunc certis foraminibus emiſſo, atque in aërem profuſo. Item in articulos ſonum frangens loqui digitis laborat, ingratus artifici, qui linguam dedit. Non elegantius manuum in Tibiis pulſandis miniſterium exprimi potuit, & inde non difficile erit concipere quid per loquaces manus intelligit *Petronius* in Fragm.

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Ægyptium nempe tibicinem de quo *Juvenal.* Sat. 15.

—— *Inde Virorum*
Saltatus nigro Tibicine.

Nec aliam ob cauſam digiti ſaltare dicuntur apud *Nonnum* Dionyſiac. lib. 3.

Ἐκ δὲ πολυτρήτοιο πόρου σκιρτήματι χειρῶν
Σύνθροον ἐκρούσαντο μέλος μυκήτορος αὐλοῦ
Δάκτυλοι ὀρχηστῆρες ἐπιθλίβοντες ἀοιδήν. i. e.

Ex multum perforato tranſitu verò, ſaltatione manuum,
Concordem pulſabant cantum mugientis Tibiæ.
Digiti ſaltantes, ſtringentes cantilenam.

Jul. Pollux lib. 4. Ἀπόδεξαι καὶ τὴν αὐλητοῦ εὐχέρειαν, καὶ τὴν ταχυχειρίαν, καὶ τὴν εὐχειρίαν; *Nota etiam Tibicinis manuum agilitatem, & celeritatem, & facilitatem.* Totum artificium conſtitit in facili digitorum contractione & porrectione, juxta effatum *Ciceronis* de Nat. Deor. lib. 2. *Digitorum contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molles commiſſuras & artus, nullo in motu laborat: itaque ad pingendum, ad figendum, ad ſculpendum, ad nervorum eliciendos ſonos ac Tibiarum, apta manus eſt admotione digitorum.* Unde Tibiis lyriſque tractatis ſibi obtritas manus conqueritur ille apud *Ariſtophanem* in Conviviatoribus, teſte *Athenæo.* Et hoc idem eſt quod *argutiæ digitorum* ſignificant, & *ad numerum*

merum articulus cadens apud *Ciceronem* in Oratore. Non aptius illa omnia deſcribi poſſunt, quam à *S. Paul. Nolan.* qui, *Bulengero* citatus, in nat. 9. quem in honorem S. Fœlicis cecinit, de adventu Nicetæ cujuſdam Epiſcopi, deque modulationibus ita:

— Vel qui perflantia textis
Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno
Ore fluat, non una ſonat, varioſque magiſtra
Temperat arte ſonos, arguta foramina flatu
Mobilibuſque regit digitis, clauditque aperitque.
Ut rapida vice dulcis eat, redeatque cavernis
Currens Æolios modulabilis aura meatus
Explicet ......

Ariſtophanes in Veneris proſapiâ apud *Athenæum* lib. 14. qua lege capiendum ſit poculum oſtendens; αὐλητικῶ tibicinum modo, *curvandos eſſe digitos* dicit.

dicit. Et quia condylus dictus articulus, nodus, junctura vel incurvatura qua digitus flectitur, ut ex *Martiano Capella* lib. 1. *Cæl. Rhodigino* lib. 4. cap. 3. aliiſque patet, ideo ſunt qui ita interpretantur illud *Martialis* lib. 5. Ep. 80.

Parvi Tibia condyli ſonabit, quaſi condylus diceretur in Muſicis digitorum curvatura uſque ad dimidium orbem. Alii in arte muſica peritiores, inter canendum Tibiis, manus certum in modum direxerunt, quod *diſcapedinare* dixere; ut ex *Apulejo* percipio Florid. lib. 1. *Primus Hyagnis manus in canendo diſcapedinavit*.

CAPUT VIII.

Tibiarum *Sonus*.

EX *Cicerone* lib. 2. de Nat. Deor. aurium eſt admirabile quoddam artificioſumque judicium, quo judicatur & in vocis & in Tibiarum nervorum-

vorumque cantibus varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta, canorum, fuſcum: læve, aſperum: grave, acutum: flexibile, durum; quæ hominum ſolum auribus judicantur. Itaque cum aurium voluptati ut plurimum dicatæ fuerint Tibiæ, ſonus gratia, quem redderent diverſum, inflatæ ſunt, ſine hoc inutiles & abjiciendæ, quemadmodum *Cicero* in Bruto: *Ita ſe res habet, ut ſi Tibiæ inflatæ non referant ſonum, abjiciendas eas ſibi tibicen putet.* Quomodo autem ex inflatis Tibiis ſonus eliceretur, leges certas præſcripſiſſe Olympum Marſyæ diſcipulum *Plato* teſtatur, ex relatione *Alexand. Sardi* de Rer. Invent. lib. 1.

Spiritus verò quem inflatum & acceptum reddiderunt, *ſonus* vel ſonitus dicebatur, interdum etiam *vox*, licet frequentius vox propriè hominum ſit ſeu brutorum, ut monet *Iſidorus* lib. 2. cap. 19. *& in aliis abuſivè, non propriè, ſonitus vox vocatur: Ut, vox tubæ infre-*

muit, fractaſque ad littora voces. Nam *proprium eſt, ut littore reſonent ſcopuli: &, at tuba terribilem ſonitum procul ære canoro.* Ideo *ſonatores* pro tibicinibus & id genus artificibus *Senecæ* in Claudii funere. Et *Apulejus* lib. 5. Met. *Jubet Tibias jugere, ſonatur.* Per ſimilitudinem etiam Tibiis conceſſam eſſe *vocem*, conſentit *Ariſtoteles* de Anima lib. 2. cap. 8. *Vox autem eſt ſonus quidam animati, nullum enim inanimatum vocem emittit: ſed per ſimilitudinem dicitur vocem edere, ut Tibia & lyra.* Murmur ſonum Tibiæ vocat *Ovidius*, Metam. lib. 14. verſ. 537.

—— *Et inflati complevit murmure buxi.*

Dicitur etiam mugitus, ſtrepitus, modulamen, flatus, &c. ſcilicet ſecundum diverſitatem modorum Tibiæ quos eleganter perſequitur *Prudentius* lib. Apotheos.

Adde & diſtinctum quem muſica Tibia flatum

Con-

Concipit, aut ille eſt preſſo modulamine parcus,
Aut tumidum largo ſublimat flamine bombum,
Aut raucos frangit modulos, aut lene ſuſurrat,
Aut exile trahens ſonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum ſublidit voce minuta.

Fuit itaque varius earundem ſonus, prout variis modorum differentiis adhibitæ ſunt, quas plurimas apud plurimos uſurpatos prolixiùs recenſebimus capite ſequenti. Hic tantùm ſonorum illorum varietatem neceſſariam ad varios uſus, quibus Tibiæ olim deſtinatæ ſunt, aſſeremus ex Divino *Paulo* Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 14. verſ. 7. *Atqui animæ expertia quæ ſonum edunt, & Tibia, & cithara, niſi diſtinctionem ſonis dederint, quomodo cognoſcetur quod Tibia canitur aut cithara? Etenim ſi incertum ſonum tuba dederit quis apparabitur ad bellum.*

Et eam præcipuè ob cauſam *Polluci* tales laudantur Tibiæ; πολύφθογγος αὐλὸς, πολύκαμπτος, πολυκαμπὴς, πολύφωνος, πολυμελὴς, πολυμελπὴς, *multiſonans Tibia, jactabunda, flexilis*, ſcilicet in cantu ad ſonum variandum, *variè ſonans, canora, varios concentus habens.*

Pulchrè apud *Ciceronem* lib. 3. de Oratore, omnis motus animi ſuum quendam à natura habet vultum & ſonum & geſtum: totumque corpus hominis, & omnes ejus vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus ita ſonant ut à motu animæ ſunt pulſæ. *Nam voces*, inquit *Tullius*, *ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quemque tactum reſpondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva; quas tamen inter omnes eſt ſuo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa ſunt ab his delapſa plura genera, lene, aſperum; contractum, diffuſum; continenti ſpiritu, intermiſſo; fractum, ſciſſum flexo ſono; attenuatum, inflatum. Nullum enim eſt horum ſimilium generum quod non arte & moderatione*

tra-

tractetur: hi ſunt actori, ut pictori, expoſiti ad variandos colores. Quicquid de humanæ vocis varietate refert *Cicero* id omne ferè Tibiarum cantibus accommodat, & adaptat *Pollux*, qui plurimos & diverſos ſonos Tibiarum recenſet, ex rebus petitos, quibus variis earum cantus competebant. Hæ enim Onomaſt. lib. 4. c. 9. tit. 6. ipſi ſunt cantus differentiæ: αὐλήματα ὄρθιον, στερεὸν, πλῆρες, ἐμμελὲς, μονόκλονον, μονόκωλον, πολύτροπον, περισταγωγὸν, δυσκαμπὲς, πολύκαμπτον, θρηνητικὸν, γοῶδες, ὀξὺ, λιγυρὸν, πομπικὸν, παροξυντικὸν, ἐνόπλιον, πυῤῥιχιστικὸν, σπονδεῖον, τροχαῖον, γαμήλιον, παροίνιον, *Tibiæ cantus rectus, firmus, plenus, concinnus, ſimplex, unimembris, varius, illecebroſus, mollis, flexilis, lachrymabilis, lugubris, acutus, ſtridulus, faſtuoſus, irritatorius, militaris, tripudiatorius, ſpondiacus, trochæus, nuptialis, inter pocula ſonans.*

Interdum enim Tibiæ ſonum gratiſſimum fuiſſe auribus & ſuaviſſimum obſervo, interdum ſtridulum & inconditum.

ditum. Prius manifeſtum eſt ex illo Philippi lib. 1. Florileg. Epigr. num. 1.

Ἱμερὸν αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λώτων.

Suaviter canenti per foraminatas lotos.

& *Virgilio:*

Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.

Quibus accinit *Tibullus* lib. 1. Ecl. 8.

Et Tyriæ veſtes, & dulcis Tibia cantu.

Unde facta comparatione cum ſumma dulcedine, Tibiarum ſono utitur *Auguſtinus*, Serm. 246. de tempore: *Nullus*, inquit, *quamlibet chordarum & Tibiarum ſonus, nulli amplexus, pulchritudini, inſpirationi, dulcedini & amplexibus ſapientiæ conferuntur.* Ideoque non immerito apud *Ovidium* Metamor. 12.

Longave multifori delectat Tibia buxi.

Imo ipſe funebris Tibiæ cantus triſtis & querulus dulce quiddam & delectabile habuit quod ex *Apulejo* conſtat Florid. 3. *Tibia*, inquit, *queſtu delectabilior, & fiſtula ſuſurru jucundior, & buc-*

& buccina ſignificatu longinquior. Et idem per *dulces querelas* indicat *Lucretius* lib. 4.

Tibia quas fundit digitis pulſata *canentum.*

Horat. lib. 3. Od. 7.

Sub cantum querulæ deſpice Tibiæ.

Et quia conquerendo rauceſcimus, nonnulli *Raucam Tibiam* dictam volunt *Propertio* lib. 3. Ec. 10.
E contrario interdum horridum & ſtridulum quid ſonabat, cujus rei indicium dat *Catullus* Epigr. 65.

Barbaraque horribili ſtridebat Tibia cantu.

Nec diverſum ſentit *Valer. Flaccus* Argonaut. lib. 2.

— Sacris hinc ignibus Ida
Vibrat & horriſonæ reſpondent Gargara Buxo.

Talem Tibiam, βαρύβρομον αὐλὸν vocat *Euripides* in Helena. *Apulejus* lib. 10. *Ac ponè tergum tibicen orthium canebat bellicoſum: & permiſcens bombis gravibus tinnitus acutos.* Unde Ti-

Tibiæ modos inconditos vocat *Maximus Tyrius* Diſſert. 27. αὔλημα ἄσημον. Et perſtrepere ut Tibia dicitur cor eorum, qui valde trepidant, quemadmodum ſancta oracula explicari debent *Jerem.* 48. *Propterea cor meum ad Moab quaſi Tibia reſonabit: Et cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum Tibiarum: quia plus fecit quam potuit, idcircò perierunt.* Ad rem noſtram *Homero* Hymn. in Matr. Deor. τρόμος αὐλῶν *tremor Tibiarum*, dicitur. Hunc tamen *Tibiarum ſtrepitum*, *amabilem* idem prædicat in Hymn. Mercur.

Tanta ſonorum varietas orta eſt à varietate Tibiarum de qua nos ſuo loco, unde παρθένιοι αὐλοὶ erant clariſſimi & acutiſſimi ſoni, ex *Ariſtotele* lib. 8. cap. 1. Hunc autem acutum ſonum in Tibiis fieri idem probl. 39. ſect. 19. putat, quia exiguus aër citò feratur Tibia incluſus.

Diverſitas etiam foraminum in iiſdem Tibiis varios ſonos effecit. Ita de Tibiarum foraminibus vicinis ori inflantis

flantis ſonus acutus emittebatur: de longinquis autem & termino proximis gravior. Item acutior per patentiora foramina, gravior per anguſta, ſi credimus *Macrobio* lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 4. qui utriuſque cauſæ rationem unam addit, quia ſpiritus ubi incipit fortior eſt, remiſſior ubi deſinit. Et quia majorem impetum per majus foramen impellit, contra autem in anguſtis contingit & eminus poſitis. *Galenus* autem, quia gravem ſonum ſine latitudine, acutum ſine anguſtia fieri poſſe negat, dicit lib. 3. De ſymptom. Cauſ. viæ, qua ſpiritus intrat, latitudinem, ſonum efficere graviorem, in Tibiis quas Siticines inflabant, quæ etiam ob materiam, ex qua conſtabant, purum ſonum edere non potuere, ex mente ejuſdem.

Ipſa quoque eadem foramina modò aperta modò clauſa diverſum ſonum ediderunt, quod *Quintiliano* aſſerenti crediderim, qui lib. 2. cap. 3. ita: *Tibiæ eodem ſpiritu accepto alium clau-*

ſis

ſis, alium apertis foraminibus, alium ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum edunt. Ideoque apertas Tibias alibi vocat, quæ apertis omnibus foraminibus ſonant clarius, etenim Tibias, præcluſis, quibus clareſcunt, foraminibus, recto exitu graviorem ſpiritum reddere monet idem *Fabius* lib. 1. Inſt. Orat. cap. 11.

Lingularum conformatio non parum contulit ad ſoni varietatem, quod ex *Ariſtotele* probabo, cujus verba ex lib. de iis quæ ſub auditum cadunt, hic latinè afferam: *Quod & perſpicitur in Tibiis, nam quæ ſecundarum lingulas habent obliquas, molliorem quidem illæ vocem edunt, verum minus tamen claram, labens enim aër protinus in ſpacioſam laxitatem incidit, neque ulla contentione rapitur, neque collectus fertur: ſed diſperſus. In lingulis autem duriuſculis, vox & durior & clarior excitatur, ſi quis eas magis labris premat: quod violentiore impetu ſpiritus feratur.* Ex eodem *Ariſtotele* cornua in Tibiis plu

plus vel minus aſſata, ſpiritus inflatus violentior vel mollior, & erumpens creber atque contentus ſonum variare plurimum poſſunt.

Ex tot diſtinctis ſonis in Tibiis erat concentus quidam tenendus, ut *Tullius* loquitur lib. 2. de Republ. ſymphonia dicta, quam definit *Iſidorus* lib. 2. cap. 19. moderationis temperamentum ex gravi & acuto concordantibus ſonis, ſive in voce, ſive in flatu, ſive in pulſu. De quibus nos alibi, hic enim properamus ad modos Tibiarum ex diverſis ſonis ortos explicandos.

CAPUT IX.

De Modis Numeriſque Tibiarum.

Tibicines non modo varios percuſſionum modos habent, ut loquitur *Cicero* lib. 1. De Orat. ſed etiam varios cantus, nec pauciores nomos. Frequentamenta numeris modiſque

addit

addit *Gellius* lib. I. cap. 2. *ſi numeros & modos & frequentamenta quædam Tibicen incineret.* Nos de ſingulis breviter pauca dicturi ſumus. *Tibinos à Tibiis modos* dixerunt, ut *Varro* apud *Non. Marcellum* de Propriet. Serm. c. I. Eoſque varios reperio ex diſcrimine Tibiarum & diverſitate cantus, ut non immeritò *Propertius* lib. 2. El. 22.

Sive aliquis molli deducit candida geſtu
Brachia, ſeu varios incinit ore modos.

Modos enim incinere verbum eſt proprium tibicinum, quod pluribus cum poſſem oſtendere, ex ſolo *Gellio* probabo, qui lib. 4. cap. 13. *Si modulis levibus Tibicen incinat*, & ibidem: *Incentiones Tibiarum.* Unde *incentivæ Tibiæ Varroni*, & *Apulejus* lib. 10. *in varios modulos laſciva concinente Tibia.*

Tantum differunt atque diſtant inter ſe harmoniarum naturæ, ut qui audiunt aliter atque aliter afficiantur, neque

eodem

eodem modo ad unamquamque earum moveantur, quod de Republ. lib. 8. c. 5. monet *Ariſtoteles.* Idque ſatis inferius patebit ubi Tibiarum ad commovendos animos uſus tradetur. Interim exinde facile intelligo quo ſenſu dixerit *Cicero* lib. 2. de Leg. *Cervices & oculos torquere ad modos Tibicinis.* Iſti modi pro ſeria vel jocoſa Comœdia ita attemperabantur, ut argumentum fabulæ oſtenderent. Illud patet ex inſcriptionibus omnium Comœdiarum *Terentii*, ut in Andria: *Modos fecit Flaccus Claudii F. Tibiis paribus dextris & ſiniſtris.* Sed hoc paſſim apud Autores deprehendo interdum hos cum illis confundi. Utroſque tanquam diverſos recitat *Horatius* de Art. Poët.

Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.

Sed evidentiorem differentiam conſtituit *Cicero* in Orat. *Quicquid*, inquit, *ſub aurium menſuram cadit id numerus dicitur, etiamſi abſit à verſu. Modus æſtimatur ſono & intervallo vocum & con-*

& concentu. Ab aliis autem modos numeroſque non pro diverſis haberi paſſim occurrit. Ita harmonia vel concentus Phrygius modò per modos modò per numeros exprimitur. De numeris Phrygiis *Lucretius* lib. 2.

Et Phrygio ſtimulat numero cava Tibia mentes.

Sic huic accinens *Propertius* lib. 2. El. 22.

Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros.

Qui *Tibullo* modi dicuntur lib. 1. El. 4.

Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Uti & *Ovidio* Faſt. lib. 4.

Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

Græcis νόμοι dicti ſunt, quos *Suidas* ita interpretatur: μουσικοὶ τρόποι καθ' οὓς ἐστιν ᾄδομεν, *modi muſici ſecundum quos canimus.* Erat autem certa quædam modulatio legibus devincta, ita ut de alia in aliam tranſire nefas eſſet, quod *Plato* docet lib. 3. de Leg. Muſ. Ex

Plu-

Plutarcho lib. de Muſic. nomi dicti ſunt, quod ſicuti leges infringere ac violare, ita & legitimam modulationum formam in quoque genere tranſire nefas ſit. Altius vocis originem repetit *Ariſtoteles*, qui Probl. ſect. 19. q. 28. quærens cur nomi vocentur, οὓς ᾄδουσι, *quos canunt*, quia, inquit, antequam leges ſcirent, leges cantabant, ne eas oblivioni traderent. Quod de Cretenſium pueris teſtatur *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 2. c. 39. qui jubebantur cum quodam concentu & melodia τοὺς νόμους perdiſcere, ut ex Muſica voluptatem caperent, & facilius eas leges memoria complecterentur.

Modi, ut & numeri, & qui Græcis νόμοι vocabantur, diverſi à diverſis recenſentur. A *Suida* ad ſeptem referuntur à Terpandro repertos, qui erant, *orthius*, *tetradius*, *acutus*, *Dorius*, *Ionius*, *Phrygius*, *Lydius*. Primis temporibus tria tantum fuere αὐλημάτων genera, referente *Pauſania* pag. 291. *Lydium*, *Phrygium*, *Dorium*, Tibiis ſin-

ſingularibus. Pronomus autem primus Tibias, quæ commodè ad omnem harmoniam ſe haberent, invenit, cum prius aliis Tibiis ad Lydium, aliis ad Dorium, aliis ad Phrygium uterentur. Nos omnium modorum, quorum apud Authores indicia reperimus, diverſitatem commodè conſiderabimus, vel quatenus à variis autoribus aut regionibus ubi reperti ſunt, vel à variis uſibus & effectibus quos præſtiterunt, ortam. De modorum diverſitate à diverſis provinciis, ſic *Caſſiodorus* lib. 2. Epiſt. 40: *Hoc totum inter homines quinque tonis agitur; qui ſinguli provinciarum ubi reperti ſunt nominibus vocitantur.* Dorius *pudicitiæ largitor & caſtitatis effector eſt.* Phrygius *pugnas excitat & votum furoris inflammat.* Æolius *animi tempeſtates tranquillat, ſonumque jam placidis attribuit.* Jaſius *intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio gravatis cæleſtium appetentiam bonorum operatur, indulget.* Lydius *contra nimias curas animæque tædia repertus, remiſ-*

remiſſione reparat, & oblectatione corroborat. De his vide *Voſſium* de 4. Artib. Popul, cap. 4. Eleganter eorundem varietatem omnem paucis adumbrat *Apulejus* Florid. lib. 1. de Antigenida tibicine: *ſeu tu velles*, inquit, *Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Ab his diverſus eſt *Heraclides Ponticus* apud *Athenæum* lib. 14. qui negat Phrygiam vel Lydiam vocari poſſe harmoniam, cum illas tantum tres dicat, quemadmodum etiam tres Græcorum nationes, Doras, Æonas, Ionas. Dorius modus, qui graviſſimus erat, duabus dextris Tibiis incinebatur; Lydius, qui acutiſſimus, duabus ſiniſtris; Phrygius qui Dorio acutior, Lydio gravior, gravitate ſimul & acumine temperatus, dextra & ſiniſtra Tibia modulabatur, quod à *Salmaſio* in Plinianis Exercitationibus annotatum. De cantu Phrygiæ Tibiæ, qui ad inſaniam concitabat, videri

poteſt *Fabius* lib. 1. cap. 17. Atque præter *Ariſtotelem* qui lib. 8. Polit. & *Platonem*, qui de Republ. lib. 3. hoc expreſſe confirmant, huc etiam reſpexit *Apulejus* cum ita lib 8. Metam. *Incitantes Tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* De Damone Mileſio narratur, quod, cum Tibicinam accerſiſſet, quæ Phrygiis modis adoleſcentes quoſdam temulentos ad furorem uſque incenderat, juſſerit ad Doricas leges tonum demittere; quo illi demulſi quievere. Unde utrique modi, alter altero frequenter temperabatur, quod non obſcurè apud *Horatium* deprehenditur Epod. Od. 9.

Sonante miſtum Tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis barbarum.

Quippe Barbarum idem quod Phrygium eſt. Lydiorum modorum ſuavitatem ex *Apulejo* deprehendimus lib. 10. *Jam Tibiæ multiforatiles cantus Lydios dulciter conſonant, quibus ſpectatorum pectora ſuave mulcentibus, &c.* Phrygios & Lydios modos Olymp

&

& Marſyæ fuiſſe memorat *Pollux*, qui etiam Lydiæ harmoniæ inventionem Antippo tribuit lib. 4. cap. 10. tit. 2. ubi inter harmonias Tibicinum hæ recenſentur; *Dorica*, *Phrygia*, *Lydia*, *Ionica*, & σύντονος, quod interpres reddidit, *continua*.

Atque hi modi ab inventionis loco denominationem traxêre. Alios reperio, qui uſui, cui adhibiti ſunt, & effectui quem præſtiterunt, nominis originem debent. Eorum nonnullos brevibus comprehendit *Maximus Tyrius* Orat. 7. *Nec enim in muſicis unus eſt modus aut unum tempus. Pulchrum in bello id quod orthium* (ὄρθιον) *nominant: pulchrum in convivio id quod parœnion* (παροίνιον) *vocatur. Ac Lacedæmoniis pulchrum quod* ἐμβατήριον *appellatur. Athenienſibus verò quod* κύκλιον *dicunt. Pulchrum inſequenti hoſti quod* ἐγκελευστικὸν, *pulchrum fugienti quod* ἀνακλητικὸν *nuncupatur.* Modum τῆς ὀρθίου μελῳδίας inveniſſe Terpandrum Methymnæum docet *Plutarchus* lib. de Muſic.

ſic. Ille autem modus tibicinum apud *Scholiaſten Ariſtophanis* ita dictus eſt, quia erat εὔτονος, & ſonum ſublatum effecit, quod confirmat *Gellius* lib. 16. cap. 19. *Stanſque*, inquit, *in ſummæ puppis foro carmen quod orthium dicitur, voce ſublatiſſima cantavit.* Unde ille modus ad prælium excitandum aptior erat & εἰς πόλεμον ἐγερτικὸς dicitur *Euſtathio* in lib. 2. Iliad. Et de eodem *Suidas* tradit, Timotheum Tibicinem Minervæ orthium modum canentem, in tantum affeciſſe Alexandrum modulatione, ut is audiens ad arma exſilierit. Dictus quippe orthius Minervæ nomus eſt, quod ut ex aliis, tum ex *Pindaro* conſtat Pyth. ult. Plures alii fuere Tibicinum modi, quos latè recenſent *Pollux* lib. 4. c. 10. tit. 2. *Euſtathius*, *Heſychius*, & *Athenæus* lib. 14. atque in eum eruditiſſimus *Caſaubonus*. Ex quibus plurima congeſta videri poſſunt apud *Scaligerum* de Arte Poëtic. lib. 1. cap. 19. & 20. & *Bullingerum* de Theatro

lib.

lib. 2. c. 17. De Tibiarum cantu ſelectiſſima habet *P. Faber in Agoniſt.* lib. 1. cap. 4.

Propter hanc modorum diverſitatem non immerito *Pindarus* Pyth. od. ult. cantum Tibiæ vocat κεφαλᾶν πολλῶν νόμον, quia multiplex & quaſi diverſorum corporum Tibiis eſt ſonus. Eodem jure pro Tibiarum cantu *Plinius* lib. 8. c. 42. Symphoniæ cantum ſubſtituit. *Polluci* variæ ſunt ſymphoniæ ſeu cantus Tibiarum ſpecies, lib. 4. cap. 16. tit. 4. Porro, inquit, modi Tibiarum cantus ſunt κρούματα, συρίγματα, τερετισμοὶ, τερετίσματα, νιγλάροι, *pulſationes, ſibilationes, fremitus, niglari.* Prima verò Tibicinum μαθήματα, *exercitamenta*, πεῖρα, καὶ νεάνθων, *experimentum, rudimentum.* Athenis verò συναυλία quædam erat, συμφωνία, *concentus*, Tibicinum in Panathenæis concinentium. Nonnulli verò συναυλίαν προσαυλήσεως ſpeciem eſſe putant, ſicut & Tibiæ cantum.

In Tibiarum modis προαύλιον, ſeu præ-

centio quædam fuit, quæ in Tibiarum cantu idem erat ac in Poëſi prologus & procemium quod eſt initium ſermonis, quemadmodum *Ariſtoteles* lib. 3. Rhetor. Et illud idem indicat *Plato* Cratylo, ὥσπερ τῆς ἀθηναίας νόμου προαύλιον συμαυλῆσαι, *ut canere præcentionem nomi Minervæ.* Sed cum exeundum eſſet è Theatro, funere aut ſacrificio, ἐξόδιοι νόμοι *canebantur. Heſych.* ἐξόδιοι νόμοι δι' ὧν πάντες ἐξελεύσονται.

In illis nomis imprimis cautum eſt, ne diſſonum quid aut colonomus fieret, cujus meminit *Auſonius* Epiſt. 11. ad Paulum: *Denique diſſonum*, inquit, *quem colonomum exiſtimo propriè à Philoſophis appellatum, adcrevi.* κόλος νόμος, id eſt mutilus, ut *Scaliger* in *Auſonium.*

CAPUT X.

A quibus ars Tibias *inflandi exercita, & apud quos in uſu.*

OLim in Græcia Tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquam ſordidam, ſed hanc ſola mancipia erercebant, quæ plerumque ex Arabia perducebantur, teſte *Suida.* Deinde ingenuis uſque adeo placere cœpit, ut indoctus haberetur quiſquis hujus rudis: Donec Alcibiades Tibias abjiceret oris deformitate conſpecta ad ſpeculum.

Conſtat itaque inter ſummas olim virtutes numeratum, Tibia canere, quod non alibi clarius quam apud *Cornel. Nepotem* exſtat in Præfatione: *Cum relatum legent quis Muſicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari ſaltaſſe eum commodè ſcienterque Tibiis cantaſſe.* Quæ

ille idem in Epaminond. monet ad Romanam conſuetudinem levia fuiſſe & potius contemnenda; at in Græcia magnæ utique laudi. Ideoque Corinthi Iſmeniam Tibias ſeptem talentis emiſſe conſtat ex *Luciano* Dialog. adv. Indoctos. Nihilominus tamen apud Romanos hæc ars ab ipſis Regibus atque Principibus interdum exercita eſt, uti de Heliogabalo & Severo *Lampridius*, & de Nerone *Suetonius*, de Gallieno *Trebell. Pollio*, quippe quam etiam Diis Gentilium attributam legimus, quod Deos induxerint alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, cithariſtas, aulœdos, venatores, paſtores, ruſticos, quemadmodum horum numinum contumeliam Paganis objicit *Arnobius* adv. Gent. lib. 3.

Ab aliis autem ars Tibicinum parvi pendebatur, qui vel Phloſophiam vel alias artes prætulerunt, quemadmodum Philiſcus Mileſius, qui primo Tibicen fuit, deinde Rhetor, quem *Iſo-*

crates

crates ideo αὐλοτρύπην vocat. De Satyro Tibicine perhibet *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 3. cap. 33. quod, cum perſæpe Ariſtonis Philoſophi diſputationibus interfuiſſet, his quæ docebantur mire affectus, dixerit: Cur ergo non igni trado hoc nihil utile telum? Inſinuans Tibiam & quodammodo ſuam artem ad Philoſophiæ ſtudium extenuans, & nihili æſtimans. Marcus Octavius Herennius prima adoleſcentia Tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, inſtituit mercaturam & bene re geſta, decimam Herculi profanavit, quam hiſtoriam ex Maſcurio Albino proſequitur *Macrobius* lib. 3. Saturn. cap. 6. Nimirum eleganter *Apulejus* de Deo Socratis rationem bene vivendi omnibus æque neceſſariam dicit, non autem rationem pingendi & pſallendi; quam quivis bonus vir ſine turpitudine, ſine labe contempſerit. Ideoque meritò ſubjungit: *Neſcio, ut Iſmenias Tibiis canere, ſed non pudet me Tibicinem non eſſe: neſcio ut*

Apelles coloribus pingere, ut Lyſippus fingere, ſed non pudet me non eſſe ſignificem.

Viguit hic Tibiarum uſus apud omnes gentes, quarum nonnullas hic potiùs indicare quam omnes recenſere placet, quia paſſim in textu reliquo operis earum plenior fit mentio. Romanos taceo apud quos non infrequens earum uſus paſſim lib. 2. docetur. Apud Græcos Tibicinum ars multum commendabatur, quod pluribus aſtruit *Athenæus* lib. 4. Ac primum ex Chamæleonte Heracleota refert Lacedæmonios ac Thebanos omnes, Tibiæ cantui operam navaſſe: item Heracleotas Ponti accolas, Athenienſium quoque Clariſſimos, ut Calliam Hipponici filium, & Critiam Callæſchri. Etiam Pythagorici idem fecere, ut Euphranor, qui de Tibiis Librum reliquit, & clariſſimus ille Archytas Tarentinus, nec non Philolaus. Thebanos cæteras Græciæ urbes Tibiæ cantu ſuperaſſe Dio Chryſoſt. teſtatur in Cyneg. Ideoque

Incer-

Incertus quidam in Florileg. Epigr. lib. 3. cap. 8.

Ἑλλὰς μὲν Θήβας προτέρας προὔκρινεν ἐν αὐλοῖς.

Θῆβαι δὲ Πρόνομον, παῖδα τὸν Οἰνιάδου, i. e.

Græcia quidem Thebas priores judicavit in Tibiis.

Thebæ verò Pronomum, filium Oeniadæ.

Max. Tyrius Diſſert. 19. ὁ Θηβαῖος ἐρᾷ αὐλῶν, ὁ Ἴων χορῶν, *Thebanus Tibiis afficitur, Ionicus choris.* Sed idem Diſſert. 7. non ſolum Thebanos Tibiarum cantu delectari, at illum Bœotis quaſi vernaculum aſſerit. Etiam Dardanis hujus artis gloria debetur, cum ex Dardania Tibicinas commendari videam apud *Ariſtophanis Scholiaſtem*, in hæc verba, αὐλητρὶς Δαρδανὶς ἐκ τῆς Δαρδανίας αὐλητρίδες εὐδοκιμοῦσιν. i. e. *Tibicina Dardanis, quia è Dardania Tibicinæ commendantur.* Et hanc Muſices partem à Dardanis excultam, author eſt *Strabo* lib. 7.

Apud Syros & Arabas non negle-

ctam artem Tibicinum probat *Capitolinus* in Vero: *Adduxerat ſecum*, inquit, *& fidicines, & Tibicines, hiſtriones, ſcurraſque, mimarios & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate.* Et hac mente non difficulter intelligitur *Juvenalis* Sat. 3. verſ. 63.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam & mores & cum Tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit.

Syrios Tibicines intelligit ex Syria, ubi Orontes fluvius eſt, Romam pervenientes ad Tiberim ſitam, *Papias* in Onomaſtico: *Ambubajæ, mulieres Syriacæ.* De quibus nos alibi. In Arabia autem non infrequentem Tibiarum uſum indicat illud apud *Suidam* Proverbium: ἀῤῥάβιος αὐλητὴς, de iis qui aliquid deſinere nequeunt.

Unde

Unde & illud, *Ut Tibia canat drachma una ei datur, ut deſinat autem quatuor numerari oportet.*

Apud Carmanos, qui Indis contermini ſunt, tibiarum uſum teſtatur *Damianus à Goës* Eques Luſitanus de Dienſis urbis Carmaniæ oppugnatione; & ipſis Turcis familiarem eſſe ex *Bellonio* colligo, qui etiam ſingul. *l*ib. 3. cap. 48. Turcas uti Tibiis dicit, iis ferè ſimilibus, quæ apud Germanos ſunt, & ſex foramina ex ordine poſita habentibus, ſed duos cubitos longitudine ſuperantibus. Cum difficultate tiam inflari poſſe, nam os habent ab omni Tibiarum Europæarum genere diverſum; ſupremum enim foramen ipſam fiſtulam penetrare refert, atque inflari per amplum extimumque foramen, ſed exigua admodum harmonia. Nolo pluribus ea hic extendere quæ in toto Opere ubique ferè patent, dummodo conſtet pleriſque, ſi non omnibus, gentibus jam inde ab antiquis tem-

temporibus uſitatas Tibias. Illud hic ſolum adiungam quo tempore apud Græcos earum uſus cœperit, quo maximè viguerit, quoque deſierit.

Tibiarum conſuetudo cœpiſſe videtur poſt Medicas victorias, cum Græci jam de ſe magnificè ſentirent, quod à *Cæl. Rhodigino* annotatum Lect. Antiq. lib. 9. cap. 4. ſed ante eum pluribus ab *Ariſtotele* confirmatum reperio, cujus verba ex lib. 8. de Republ. cap. 6. hic latina afferam, ne Græca aliis faſtidium pariant nimia prolixitate. Ita autem ille: *Quocirca rectè veteres ejus uſum in pueris ac liberis hominibus improbarunt cum antea eo uſi eſſent: ocium enim uberius ex omnium rerum copia nacti, majoreſque animos ad virtutem conſequuti, tum ſuperioribus temporibus & poſt bellum Perſicum ex rebus feliciter & præclarè geſtis ferociores & elatiores effecti, omne diſciplinæ genus attigerunt, nullum delectum adhibentes, ſed aliam atque aliam inſuper indagantes. Quapropter etiam artem*

Tibia

Tibia canendi ad diſciplinarum numerum aggregarunt. Etenim Lacedæmone quidam, qui ludorum ſumptus ſuppeditabat (χορηγὸς Græcis) *ipſe choro Tibiam inflavit; Et Athenis ita increbuit ut fere plerique liberi & ingenui homines Tibia canerent.*

Deſiit verò Athenis diſciplina illa, Alcibiade authore, cum percrebuiſſet ab ipſo abjectas infractaſque Tibias, ut ita poſt ejus tempora res habita ſit ſordida & illiberalis. Nimirum Alcibiades quum apud avunculum Periclen puer artibus & diſciplinis liberalibus erudiretur; & acccerſi Pericles Antigenidam Tibicinem juſſiſſet, ut eum canere Tibiis, quod honeſtiſſimum tum viſum eſt, doceret: traditas ſibi Tibias quum ori inſertas inflaſſet, deformitate oris tali pudore affectus dicitur, ut infractas illas abjecerit. Ea res cum percrebuiſſet, omnium tum Athenienſium conſenſu diſciplina Tibiis canendi deſita eſt, quemadmodum ex Commentario Pamphilæ nono & vice-

ſimo

ſimo totam hiſtoriam refert *Gellius* lib. 15. cap. 17. Et hanc ob cauſam Alcibiadem Socrates apud *Platonem* ſic alloquitur, *Quantum enim memini, didiciſti legere, ſcribereque, & cithara canere: nam Tibia canere noluiſti.*

Apud omnes autem gentes in variis actionibus adhibitus eſt Tibiarum uſus. Cujus cauſam indagare non difficile eſt ubi ad varias affectiones & paſſiones attendimus, quas varii Tibiarum modi, prout variè uſurpati ſunt, produxere, de quibus pulchrè *Cicero* lib. 2. de Legibus: *Aſſentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros ac molles influere, quam varios canendi modos, quorum dici vix poteſt, quanta ſit vis in utramque partem: & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit.* Unde diverſus emerſit earundem apud Veteres uſus; In bello ad animos excitandos, vel moderatiores reddendos; In ſacris, ne quid infauſti exaudiretur; In ludis publicis & Di-

vûm

vûm honore, ut luxus & lætitiæ ſenſu imbuerent animos ſuaves modulationes; Inde etiam Convivales Tibiæ. Nec ſine iiſdem comœdiæ actæ, nec ſpectacula. In concionibus etiam Tibiæ concionatoriæ variis modis tum animum demulcerent, tum actionem loquentis intenderent. In funeribus ſignum luctus Tibia daret, & funereos modos cantu lachrymante ferrent tibicines. Sed Zygia Tibia lætos Hymenæi modos conderet, quemadmodum alia nocturnis dicata choreis. Ad Tibicinum cantum Ludii & hiſtriones motum congruentem moderarentur. Fuit & Tibicen nauticus, qui in triremibus animos remigum mulceret, ad tolerandos facilius labores. Quare etiam Tyrrheni ad Tibiam ſervos flagellis cædunt, ad excitandam tolerantiam. Agmen claudunt bruta Animalia, quæ olim Tibiarum varietate & dulcedine delectata non ignoro, ſed his omnibus Tibiarum uſibus explicandis ſequentem hujus Tractatus Librum impendo.

impendo. Ubi evidenter patebit, non immeritò decantatas eſſe *Maximo Tyrio* tot Muſices vires; apud quem Diſſert. 21. *talis eſt Muſica, quæ facillimè luctum levat, facillimè iram cohibet, optime cupiditates temperat, dolores mitigat, amores ſolatur, adverſam ſublevat fortunam. Optima hæc in ſacrificiis comes, in epulis convictrix, imperatrix in bello. Hæc eſt quæ maximè in feſtis reficit, Bacchanalibus ſaltat, in myſteriis afflat homines. Hujus præcipuum quoque opus eſt modulatione ſua rempublicam temperare.* Ita planè omnis habitus animæ cantibus gubernatur, fatente *Macrobio*, ut & ad bellum progreſſui & item receptui canatur cantu, & excitante & rurſus ſedante virtutem; Dat ſomnos, adimitque: nec non curas & immittit & retrahit: Iram ſuggerit, clementiam ſuadet: corporum quoque morbis medetur.

L I-

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Tibiæ *Vis ad variè afficiendos animos, eoſque vel concitandos vel molliendos.*

DE Platone teſtatur *Cicero* lib. 3. de Leg. quod muſicorum cantibus mutatis, mutari mores civitatis dixerit. Nec ſane immeritò, cum Pythagoram confeſſum eſſe, plus poſſe Tibicines ad corrigendos mores, quam Philoſophos, conſtet ex *Sexto Empirico* adv. Mathem. lib. 6. Pythagoræi ferociam animi Tibiis ac fidibus mollientes, docuerunt cum corporibus adhærere nexum fœdus

dus animarum, quod de illis teſtimonium perhibet *Martian. Capella* lib. 9. Et hanc ob cauſam multi perſuaſi ſunt ideo in hac vita omnem animam muſicis ſonis capi, quia in corpus defert memoriam muſicæ, cujus in cœlo fuit conſcia: & ita delinimentis canticis occupari, ut nullum ſit tam immite, tam aſperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc *Macrobius* lib. 2. in Somn. Scip. cap. 3. exiſtimat & Orphei & Amphionis fabulam ſumpſiſſe principium: quorum alter animalia ratione carentia, alter ſaxa quoque trahere cantibus ferebatur; quia fortè gentes, vel ſine rationis cultu barbaras, vel ſaxi inſtar nullo affectu mobiles, primi illi ad ſenſum voluptatis canendo traxerunt. Videmus enim Tibiam, quæ ex teſtimonio *Plutarchi* Symp. 7. cap. 8. in aures ſe inſinuat infundens vocem jucundam uſque ad animam, modo mores aſperos lenire animoſque demulcere, modò eoſdem lymphatico cantu incitare

atque

atque furorem afficere.

De poſteriori effectu Tibiarum, tot apud autores ſunt indicia, ut, qui omnia congereret, prius temporis atque chartæ, quam materiæ defectum haberet. Tibiam hoc habere inſtitutioni ac doctrinæ adverſarium, quod ejus cantus prohibet ratione uti, effatum eſt *Ariſtotelis* de Republ. lib. 8. c. 6. Quocirca, quemadmodum Veteres rectè ejus uſum in pueris ac liberis hominibus improbarunt, ita neque Tibiam in puerorum inſtitutionem introducendam judicat, quippe quam organum dicit non ad mores mitiores ingenerandos aptum, ſed potius ad animos furore Bacchico ſtimulandos accommodatum. Quare talibus temporibus eo utendum ſuadet, quibus ejus uſus valet ad animos expiandos potius ac luſtrandos ſeu purgandos, quàm ad erudiendos. Apud *Plutarchum* lib. 2. de Fort. Alexandr. Antigenide Tibiis canente, uſque adeo, velut lymphatico impe-

impetu, exarſiſſe dicitur Alexander Magnus, ut concuſſis armis proripiens è mediis epulis, manus in aſtantes intenderet, illectus ſono bellico. Similia de Erico Rege Daniæ referenti credo *Saxoni Grammatico*, patriæ noſtræ Hiſtoriæ conditori optimo, qui lib. 12. Hiſt. Dan. ita: *Sed triſtioris fortunæ quod ſequitur. Reverſus namque Ericus, cum more Regio domi in propatulo cœnitaret, inter alios quendam Muſicæ rationis Profeſſorem adeſſe contigit. Qui cum multa ſuper artis ſuæ laudibus diſputaſſet, inter cætera quoque ſonorum modis homines in amentiam furoremque pertrahi poſſe affirmabat. Quin etiam tantas fidibus vires dicebat, ut perceptis earum modulationibus aſtantes mente conſtaturos negaret.* Ille ubi tum precibus Regiis, tùm minis effectum præſentare compellitur, ita animorum eorum habitus qui audierant, modorum varietas inflectebat, ut Rex, colluctantium robore victo, arreptoque enſe, quatuor militum, continendi ejus gratia

tia propius accedentium, cædem peregerit. Hanc ad concitandos animos vim Tibiarum non ignoravit Theon Pictor, de quo *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 2. cap. 44. quippe qui imaginem quandam populo videndam exhibiturus, non prius eam congregatis ad ſpectandum propoſuit, quem Tibicinem juxtà collocaſſet, quam juſſit carmen incitativum canere, penetrans ac clamoſum quam fieri poſſet maximè & quod ad prælium animaret. Simulac igitur auditum eſt carmen aſperum & horrendum, & tuba quaſi armatorum eruptionem ſonante, picturam oſtendit, & miles conſpectus eſt, erat enim miles, quem pinxerat in armis, jam jam quaſi erupturus. Ergo non immeritò à Philoſopho Tibia ὀρχιαστική ſalutatur ſeu *concitatrix*, & ad rem noſtram *Cicero* de Divin. lib. 1. *Multiſque rebus*, inquit, *inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent, ut ii qui ſono quodam vocum, & Phrygiis cantibus incitantur*. Per Phrygios cantus Tibiarum

rum modulationes intelligendæ ſunt, quæ in Matris Deûm ſacrificiis in Phrygia adhibitæ, quemadmodum *Apulejus* Metam. lib. 8. virum quendam *Cantus Phrygii mulcentibus modulis excitum* dicit, & paulo ante illum cantum Tibiarum eſſe declarat: *Quidam tunicas albas in modum lanciolarum quoquoverſum fluente purpura depictas cingulo ſubligati, pedes luteis induti calceis, Deamque ſerico contectam amiculo mihi gerendam imponunt: Brachiiſque ſuis humero tenus renudatis attollentes immanes gladios ac ſecures ovantes exſiliunt, incinente Tibiæ cantu lymphaticum tripudium.* Ex quo *Apuleji* loco non parum lucis mutuor pro explicando *Valer. Flacco* lib. 3.

— At barbara Buxus
Si vocet, & motis ululantia Dindyma ſacris,
Tunc enſis placeatque furor.

Sed de his nos plura proferemus alibi, ubi de Tibia in ſacris Deûm Matris ſermo erit, hic tantum tractandus erit furor

ror ille & nefarius ſpiritus, quem in audientibus concitavit, eleganter expreſſus à *Seneca* Epiſt. 108. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu ac animo: nec aliter concitantur, quam ſolent Phrygii Tibicinis ſono ſemiviri, & ex imperio furentes.* Semiviros Sacerdotes Phrygios vocat, quos ideo *Firmicus* de Err. profan. Relig. dicit, cum ſe alienos à viris fecerint, adimpletos Tibiarum cantu vocare Deam ſuam, ut nefario repleti ſpiritu vanis hominibus quaſi futura prædicent. Idem de Corybantibus ab aliis dictum, quo ſenſu *Max. Tyrius* Diſſert. 22. *Sicut vulgo eos ajunt, quos corybantiare dicimus, ſi Tibiam audiant, è priori mentis ſtatu devolvi, divinoque ſubito furore corripi.* Erant autem Corybantes iidem cum Curetibus de quibus prolixè *Strabo* lib. 10. Nimirum qui Cretenſes res tradunt Phrygiaſque, ii quibuſdam ſacris miniſteriis implicant Curetes, cùm arcanis, tùm aliàs

Jovis in Creta educationi puerili, & Matris Deûm ſacrificiis in Phrygia, ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingentem iſtarum narrationum diverſitatem *Strabo* monet. Dum alii eoſdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idæos, Dactylos, Telchines: Alii cognatos inter ſe & exilibus diſtinctos differentiis. Illi ab omnibus furore quodam Divino correpti & bacchantes deſcribuntur, qui armata ſaltatione cum tumultu & ſtrepitu, tintinnabulis, tympanis, armis, Tibia & clamore in ſacrificiis perterreant homines ſub adminiſtrorum ſpecie. Hórum rituum originem ordine exponit *Jul. Firmicus*, inde ortum, quod Cretenſes, ut Jovis furentis propter filii Bacchi cædem, ſævitiam mitigarent, feſtos funeris dies ſtatuentes, & annuum ſacrum trieterica conſecratione componentes, omnia per ordinem facere vellent quæ puer moriens aut fecit aut paſſus eſt: Ideoque, ut memorat *Firmicus*, vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas

an-

annuis commemorationibus excitantes, & per ſecreta ſylvarum clamoribus diſſonis ejulantes fingunt animi furentis inſaniam. Præfertur ciſta in qua ſoror cor latenter abſconderat, *Tibiarum cantu*, & cymbalorum tinnitu crepundia quibus puer deceptus fuit mentiuntur.

Aliam, ſed contrariam prorſus, vim Tibiarum reperio, qua excitati furores compoſiti ſunt atque animus molliter affectus. Eoque conſilio apud *Stobæum* de Repub. Serm. 41. illis qui ebrietate & crapula inducti aliquid mali perpetrabant, Tibias & accentum accommodârunt, ut ingenia his modis irrigata honeſtiores matureſcendo mores acquirerent. Hunc effectum Tibiarum à priori planè diverſum mirari licet, cum Pythagoras ebrium Adoleſcentem Taurominitanum, ſub Phrygii modi ſono incitatum, Tibicine ſpondæum ſuccinente reddiderit mitiorem & ſui compotem, cujus rei teſtes ſunt *Fabius* lib. 1. cap. 10. *Patritius* de Republ.

lib. 2. tit. 2. *Boëthius* Muſices lib. 1. cap. 1. Nimirum cum ſcortum in rivalis domo eſſet clauſum, atque Adoleſcens ille furens domum vellet comburere, cumque Pythagoras ſtellarum curſus, ut illi mos erat, inſpiceret, ubi intellexit ſono Phrygii modi incitatum, multis amicorum admonitionibus à facinore noluiſſe deſiſtere, mutari modum præcepit, atque ita furentis animum ad ſtatum mentis pacatiſſimum reduxit. Idem de Pythagora tradit *Baſilius* de Legendis Græcorum ſive Gentilium Libris, uti & *Ammonius* in Porphyrii Iſagogen, qui inde comprobat, Muſicen animi affectiones ſopire, dirigereque ad virtutes. Præceptoris ductum ſequutus eſt Clinias apud *Ælianum* Var. Hiſt. lib. 15. c. 23. Is ſapientiæ ſtudio Pythagoræus, quando ad iracundiam ſe præcipitem ferri ſenſiſſet, confeſtim priusquam prorſus invaderetur ab ira & eluceſceret in ipſo mentis affectus, chordis adaptatis citharam pulſavit. Et eundem hujus facti cauſam ro-

gatum.

gatum, *Athenæus* lib. 14. refert reſpondiſſe: Πρᾳΰνομαι, *miteſco.* Atque ideo Pythagoræ & Sectatoribus ejus receptus mos fuit, ut lyræ cantu animum tum ad laborem accenderent, tum ad tranquillitatem reducerent, ut teſtantur *Plutarchus* lib. de Iſid. & Oſir. *Porphyrius* in vita Pythagoræ, *Jamblichus* in ejuſdem vita cap. 25. & 32. Ex quibus varia apud *Voſſium* vide de 4. Art. Popul. cap. 4. Quibus hic ſolum *Tullium* addam qui Tuſcul. Quæſt. lib. 4. *Veſtigia autem*, ait, *Pythagoræorum quanquam multa colligi poſſunt, paucis tamen utemur: quoniam non id agitur hoc tempore: nam cum carminibus ſoliti illi eſſe dicantur, & præcepta quædam occultius tradere, & mentes ſuas à cogitationum intenſione cantu fidibuſque ad tranquillitatem reducere.*

Sanè eandem ob cauſam iiſdem Pythagoræis moris fuit, quemadmodum de iis teſtatur *Quintilianus* Inſtit. Or. lib. 9. cap. 4. cum evigilaſſent, animos ad lyram excitare, quo eſſent ad agen-

dum erectiores: & cum ſomnum peterent, ad eandem prius lenire mentes, ut ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent. Huic affinis mos fuit Indorum, qui Tibiarum cantibus Regem admonuere, quoties dormitum pergebat, ut bonis uteretur ſomniis, atque benignus erga ſubditos, & illis bene conſulens ſurgeret, quemadmodum referenti *Philoſtrato* credimus, de vita Apollon. lib. 2. Ad conciliandum ſomnum adhibitam ſymphoniam monet *Seneca* lib. de Provid. cap. 3. ubi Mæcenatem tradit in diuturna ægritudine inſomniorum variis ex rebus remedia quæſiviſſe; *Feliciorem*, inquit, *ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per ſymphoniarum cantum, ex longinquo lene ſonantium, quæritur.* Tales Tibiarum præcentiones Gentiles Diis ſuis obtuliſſe, eoſdemque matutinis etiam horis Tibiarum cantibus Deos ſuos ſalutare ſolitos teſtis eſt *Arnobius*, quam-

quamvis non approbet hujuſmodi Deorum fictitiorum cultum, Adv. Gent. lib. 7. *Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad Tibiam vocibus? Condormiſcunt enim ſuperi, remeare ad vigilias ut debeant? quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auſpicabili ſalutatione mandatis. Somni enim quiete ſolvuntur, occuparique ut poſſint lenes audiendæ ſunt næniæ.*

Ad Tibiam expergefactos eſſe alios videtur ex *Seneca* colligi poſſe Epiſt. 15. *Quidni malit*, inquit, *quiſquis vir eſt, ſomnum ſuum claſſico quam ſymphonia rumpi.* Ex fonte medico remedia hæc tangit *Paulus Ægineta* lib. 1. cap. 98. ubi de ſanorum vigilia agit, *ſiquidem igitur*, ait, *aut ex mærore, aut ob curam, aut animi affectum quempiam vigiliis torqueantur: primum quidem id quod mærorem facit, ſi fieri queat, præſcindemus. Deinde etiam jucundiorum ſonorum auditu, cogitationem ab illis abducemus.* Lacedæmonii lite-

rarum omnino rudes erant, ſed ſi aliquando doctrinarum auxilio & ope, vel delirantes vel ægrotantes, aut alioqui publica calamitate affecti, indigerent, accerſebant homines peregrinos, ut medicos, aut vaticinium Apollinis. Accerſiverunt autem Terpandrum, Thaletem, Tyrtæum, Cydoniatam, Nymphæum, & Alcmanem, qui Tibicen erat, ſicuti prodidit *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 12. cap. 50. Ex *Plutarcho* lib. de Muſic. & *Suida* Proverbio: μετὰ λέσβιον ᾠδόν, conſtat eoſdem Lacedæmonios, cum ſeditione laborarent, juſſiſſe cantorem Lesbium accerſere: cumque Terpandrum in συσσιτίοις canentem audiiſſent ex diſcordia in gratiam rediiſſe. Ideoque Pythagoras, ut ſæpius audivimus, perturbationes animi lyra compoſuit, *quis enim ignorat lituos & tubas concitamenta eſſe, ſicut quoſdam cantus blandimenta quibus mens reſolvatur? Confuſis oculis proſunt virentia, & quibuſdam coloribus infirma acies acquieſcit, quorundam ſplendore perſtringitur:*

gitur : ſic mentes ægras ſtudia læta permulcent, quemadmodum pulchre loquitur Romanæ Stoæ Princeps lib. 3. de ira cap. 9. *Ariſtoteles* in utriuſque Tibiarum uſus, tam excitandi quam ſopiendi animos, cauſam inquirit Prob. Sect. 19. *Cur tam in laborando quam in fruendo ſolatio Tibiam adhibere ſolemus? An ut laborantes minus angamur, fruentes magis oblectemur.*

Nec aliam ob cauſam, credo, nonnullæ gentes Tibiarum cantum adhibuerunt cum ſontes flagris cæderent, quam ut aliquam pœnæ partem ſontibus minuerent, qui ſupplicia, his cantibus deliniti, æquiori animo ferrent, quanquam hoc Tuſcorum propenſioni ad voluptatem tribuat Alcinous, qui iſtis hunc Tibiarum uſum familiarem tradit apud *Athenæum* lib. 12. Viguit ſanè apud nonnullos hic mos, quemadmodum ſuo ævo flagellari ſervos ad Tibiam ſolere *Ariſtoteles* tradit, quod apud *Plutarchum* legimus lib. de Cohib. Ira, Tyrrhenis hunc ritum ex eodem *A-*

riſtotele tribuit *Pollux lib. 4. cap. 8.* Τυῤ-ῥηνοὶ δὲ τῷ Ἀριστοτέλους λόγῳ οὐ πυκτεύουσιν ὑπ' αὐλῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ μαστιγοῦσι καὶ ὀψοποιοῦσι. *Tyrrheni verò, ut Ariſtoteles tradit, non ſolum pugnant ad Tibiam, ſed etiam flagellis cædunt, & coquunt.*

Affinem originis cauſam habuit, quod non pauci olim in Triremibus Tibiarum cantu animum remigum demulcerent ad tolerandos facilius labores, de quibus nos poſtea ſingulari capite, nimirum cum ita certus Tibiarum cantus animos emolliret, ut non immeritò *Ovidius* de Remedio Amoris, hoc de eo teſtimonium perhibuerit,

Enervant animos citharæ, lotoſque, lyræque.

Sic Polycratem Samiis mitiorem reddidit Anacreon apud *Max. Tyrium* Diſſert. 21. cum ejus Tyrannidi Smerdiæ amorem, Cleoboli comam, *Tibiaſque Bathylli*, & Ionicos cantus immiſceret. Unde hoc quaſi mirum affertur à *Saxone Grammatico* lib. 6. de Ingello Rege Daniæ, cum Regina tibicinem de indu-

induſtria modulari juſſiſſet, quò indignationis Regis perſeverantia flecteretur, & artificialis ſoni miniſterium naturales inclementiæ nervos eliderat, quod *Tibiæ & chordarum lenocinium parum efficax in hebetanda Regis pertinacia* fuiſſet. Getarum Legati, ſi pacis vel induciarum cauſa mitterentur, ubi pacato opus eſſet animo citharam pulſantes adveniebant; quod ex Theopompi hiſtoria refert *Athenæus*, & hinc alibi colligit Muſicen, *& mores componere, & iratos mentiſque parum compotes lenire ac demulcere.* Quid enim Tibia ad corrigendos mores valuerit ex *Maximo Tyrio* conſtat, qui agreſtes Boëtorum mores Tibiæ ſtudium, Tibiæque aptatum Pindari carmen mitigaſſe tradit, Diſſert. 21. Ut adeo non immeritò per Muſicam nos certo quodam modo moratos fieri voluerit *Ariſtoteles* Polit. lib. 58. cui hujuſmodi cantica, quibus animi à motibus purgarentur, dicuntur, μέλη καθαρτικά. Sed de his

conſule *Saresberienſem* lib. 1. Polycrat. cap. 6.

A Prophetis olim adhibita inſtrumenta muſica Rabbini volunt, animos ſuos recreandi exhilarandique gratia, quod Spiritus Domini requirat animum lætum ac hilarem: mœſtum autem & triſtem fugiat. Apud Prophetam fidelium gaudium, quo ſunt afficiendi propter Aſſyriorum cladem, Tibiarum cantui ſimile habetur, ſic *Eſaiæ* cap. 31. verſ. 29. *Illud canticum futurum eſt vobis ut noctis qua ſanctificatur feſtum: & lætitia animi, qualis eſt euntis cum Tibia.* Ita de Babylone, quia in deliciis diu vixerat, *Apocalypſ.* 18. verſ. 21. *Cum impetu projicietur Babylon urbs illa magna: nec amplius invenietur. Et vox citharœdorum & muſicorum & Tibia atque tuba canentium non audietur in te amplius.* Scilicet magnam hujus Muſices ſuavitatem fuiſſe oportet, cum plurimi hac uſi ſint ad vitæ auſteritatem modulorum dulcedine temperandam, quapropter ab aliis propter ſua-

vitatem

vitatem ſoni commendata eſt Tibia. Imo *Max. Tyrius* Diſſert. 15. in Homeri Heſiodique carminibus non magis narrationes, numerorum ſuavitatem, & harmoniæ elegantiam quàm in Tibia aliqua aut cithara miratur, atque Diſſert. 12. quodammodo cum Tibiæ ſuavitate, & cantu Sirenum comparationem inſtituere videtur. Sed Diſſert. 33. clariùs indicat quantam ad animos penetrandos atque afficiendos vim habeat: *Non enim corpori diffido quin ab igne calere, nec oculis quin à ſole illuſtrari, nec auribus quin Tibiæ modis affici poſſint.* Ubi elegantiſſimè eandem vim Tibiis ad aures demulcendas concedit, quæ corpori afficiendo ab igne, & oculis, radiorum luce perſtringendis, à Sole emanat.

Ego ejuſmodi plura apud Authores varios reperiens veſtigia, non poſſum quin fatear cum *Tullio* lib. 3. de Oratore, *Nihil eſt tam cognatum mentibus noſtris, quam numeri ac voces: quibus & excitamur & incendimur,*

dimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem & ad triſtitiam ſæpe deducimur.

CAPUT II.

Tibiæ *uſus in curatione Morborum.*

PEculiarem apud veteres morbos curandi rationem aggredior, haud ignarus antiquis abhinc temporibus, medicamentis aliis non infimum locum datum. Aſſeverant hoc varia tum à ſaxis vetuſtis, tum literarum monumentis petita teſtimonia, quibus Medicis ſuus non denegatur honos,

Aras Pæoniam meruit Medicina per artem.

Apud Romanos ſanè haud infimum dignitatis locum obtinuerunt Medici. Uti apud *Tacitum* lib. 4. Annal. Eudemus amicus ac Medicus Liviæ dicitur, & de Charicle idem lib. 6. Annal. *Erat,*

Erat, inquit, *Medicus arte inſignis nomine Charicles, omnes quidem valetudines regere Principis ſolitus, conſilii tamen copiam præbere.* Statuas habebant publicas qualis apud *Urſinum* P. Pupii; idque non immerito, cum eleganter *Seneca* de Benef. adverſariis reſpondet, quædam pluris eſſe quam emuntur: *Emis à Medico rem inæſtimabilem, vitam & valetudinem.* Miſſas facio hic aliorum controverſias de Medicis apud Romanos vel ſervis vel civitate prohibitis, cum diſtinctione tamen admittendas, quas ad alium forum relegabo, Voluminі Antiquitatum Medicarum eas reſervaturus. Non enim hic loquor vel de iis, qui olim certis quibuſdam corporis partibus addicti artem ignobilem exercuere, vel de Pharmacopolis, qui olim Circumforanei, ex mente *Ciceronis* in Orat. pro Cluent. & *Horatii* Serm. lib. 1. Sat. 2. Quibus ſuum addit calculum ætate poſterior *Gellius*, lib. 1. cap. 15. apud quem ita Cato: *Itaque auditis, non auſcultatis; tanquam Pharmacopolam,*

lam, nam ejus verba audiuntur: verum ei ſe nemo committit ſi æger eſt. Hæc & talia pluribus proſequi præter inſtituti rationem eſt.

Novi Tibiarum cantum, quem hic propono, non in morbis omnibus curandis utramque paginam feciſſe, ſed alia advocata medicamenta non diffiteri poſſum; eaque diverſa. Nonnulla à ſe inventa Prometheus apud *Æſchylum* in Prometh. Vinct. gloriatur, quod primus monſtraverit *miſturas lenium medicamentorum, quibus omnes profligarent morbos.* Sunt tamen hujus ætatis quidam, qui, moleſtè nimis ſeduli, *miſturas* medicamentorum, quæ jam apud Practicos non infimi ſubſellii felici & laudabili uſu paſſim increbuere, irriſui habent; forſan propter nominis ſimplicitatem, à qua nihilominus non abſtinuit, Romanæ linguæ non ultimum decus, *Quintilianus*, qui 1. Orat. 10. Medicamenta quæ *morbis & vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis inter ſe effectibus componi videmus,*

mus, quorum ex diverſis fit illa miſtura *una, quæ nulli earum ſimilis eſt, quibus conſtat, ſed proprias vires ex omnibus ſumit.* Præter illa uſitata, & communia medicamentorum genera, veteribus etiam fuere quædam quæ minus vel vulgata vel ad communem medendi methodum accommodata. Illud de Antonio Muſa teſtatur *Suetonius* in Octav. cap. 59. qui ſtatuam meruit juxta ſignum Æſculapii, ob ſervatum lactuca Auguſtum, quod pluribus ex *Plinio*, & *Suetonio* illuſtrat *Ant. Mizaldus* de Secret. Hort. lib. 2. in Præfat. De Radicula quæ ſola Ptolemæum in prælio telo venenato ictum ſanavit, *Cicero* lib. 2. de Natur. Deor. Hic ex multis unam peculiarem veteribus medendi methodum demonſtrabimus, quæ in ſolo Tibiarum cantu conſtitit.

Novimus varios Muſices modos variè animum afficere, ideoque non immerito à veteribus Muſicam mentibus noſtris cognatam dictam. Nimirum quem-

quemadmodum ad affectiones animi Tibias adhibuere, ita eaſdem ad morbos corporis profligandos introduxere. Refert Democritus apud *Gellium*, libro qui inſcribitur de peſtibus, aut rationalium regula, *plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones Tibiarum.* Tanta prorſus eſt affinitas corporibus hominum mentibuſque, & propterea quoque vitiis aut medelis animorum & corporum. Quod morbis medeatur Muſica vide *Langium* Epiſt. Medic. lib. 3. cap 6. *Brodæum* Miſcell. lib. 4. cap. 31. *Stuc'ium* Antiquit. Conviv. lib. 3. cap. 20. Sed & ante hos non pa ci idem memoriæ prodidere. Apud *Jamblichum* in Vit. Pythag. cap. 28. Muſica creditur multum conferre ad ſanitatem, ſi quis ea, quomodo convenit, utatur. Ergo jure Muſicen ita loquentem introducit *Martianus Capella* lib. 9. *Quid? Afflictionibus corporum nonne aſſidua meditatione ſuccurri? Febrem curabant vulneraque veteres cantione. Aſclepiades etiam tuba*

ſurdiſſimis

ſurdiſsimis medebatur: Iſchiadas quis neſciat expelli aulica ἀυλικῆ, ſeu Tibiali) *ſuavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat.* De dolore Iſchiadico conſentiunt alii. *Athenæus lib.* 14. *Morbis auxiliari Muſicen, Theophraſtus Libro de Enthuſiaſmo ſcripſit, & qui vexantur coxendice, eo cruciatu liberari, ſi quis, dum dolor urget, Tibiis Phrygiam modorum harmoniam canat.* Paria ex Eodem refert *Apollonius Caryſtius* in hiſtoriis mirabilibus, Muſicen multis animi corporiſque affectibus mederi: ut animi defectui, metui, diuturnis mentis alienationibus. Sanare etiam cantum Tibiæ iſchiadem & morbum comitialem. Subjungit deinde ſua ætate multos ac potiſſimum Thebanos Tibiæ cantu mederi morbis conſueviſſe. Ad prius confirmandum concurrit evidens *Gellii* teſtimonium, qui lib. 4. cap. 13. *Creditum*, inquit, *hoc à pleriſque eſt, & memoriæ mandatum: Iſchiaci cum maximè doleant, tum ſi modulis lenibus Tibicen incinat, minui dolores.*

dolores. Ego nuperrimè in libro Theophraſti ſcriptum inveni: viperarum morſibus Tibicinem ſcitè modulateque adhibitum mederi. Hunc *Gellii* locum corrigit *Muretus* Var. Lect. lib. 14. cap. 6. qui *Theophraſtum* ſcripſiſſe putat, non lenibus modulis Tibiarum Iſchiacos levari, ſed harmonia Phrygia, quæ omnium vehementiſſima eſt & aptiſſima ad animos divino quodam furore incitandos: Cui animadverſioni planè favet *Athenæus*, qui, loco à nobis ſupra adducto, expreſſè in hoc caſu Phrygiam modorum harmoniam, Tibiis cantatam, ex *Theophraſto* laudat. Deinde quod de morſu viperarum, tibicine canente curato, ſuperius ſubjicit *Gellius*, pro fabuloſo habet *Hier. Mercurialis* de Morb. Venen. lib. 2. cap. 3. Aptiùs tamen *Muretus* arbitratur *Theophraſtum* non de Viperis ſcripſiſſe, ſed de iis Phalangiis qui Tarantulæ vocantur, quarum morſus Romæ plerumque innoxius, in Apulia, ſi negligatur, lethalis. Quippe ibi earum

morſus

morſus ſaltationem inducit, quæ convulſionis quædam eſt ſpecies & Muſicæ tono Phrygio aut hyperdorio, à *Kirchero* in Arte Magnet. deſcripto, curatur, ſudore nempe per ſaltum excitato, quo humor noxius expellitur, ita explicante *Parente* meo in Quæſt. Nupt. 7. Cæterum Tarantulæ morſibus Tibicines ſubvenire experimento infallibili ſe comperiſſe teſtatur *Alexander ab Alexandro* Genial. Dier. lib. 2. cap. 17. ubi totam hanc rem late deſcribit, quomodo à tarantula, id eſt Phalangio, percuſſi, quos vulgo *Tarantatos* dicunt, non aliter ex ancipiti morbo convaleſcunt, quam ſi Tibicen vel cithariſta juxta eos diverſos modulos incinat. Veritatem eventus oculari teſtimonio confirmat, cum enim per loca illa diutino ſitu ſquallida & ardore ſolis ferventia cum aliquot comitibus iter intenderet, undique oppida, & vicos, alia tympanis, nonnulla fiſtulis, pleraque Tibicine conſonantia audivit: Cujus rei cauſam

quæ-

quærentibus relatum eſt, Tarantulæ morbo affectos undique per oppida curari.

Plutarchus ex Pratina commemorat Thaletem Cretenſem ſorte quadam à Pythio edita adiiſſe Lacedæmonios, & utentem ope Muſica eos à Peſtilentia liberaſſe. Cujus facti meminit etiam *Martianus Capella* lib. 9. Sed *Mercurialis* de Peſtilent. cap. 22. nihil aliud fuiſſe exiſtimat muſicam illam Thaletæ, & eorum militum qui apud *Homerum* cantu peſtem fugarunt, niſi ſpem, gaudium, & lætitiam: quibus fit ut animi & corpora valentiùs pugnent adverſus morbum peſtiferum. Equos lymphatos deſperata rabie correptos, ſolo Tibiarum cantu miteſcere, proditum eſt ab *Ariſtotele*. Eaſdem Tibiarum modulationes conferre hominibus furore & mania correptis tradit *Cæl. Aurelianus* Chronic. lib. 1. cap. 5.

Ex illo Tibiarum in medicina morborum uſu ortum crediderim, quod olim remedia ægris præſtantes, *præci-*

nere

nere dicerentur, ex *Macrobio* lib. 2. in Somn. Scip. cap. 3. Nam alii ægrorum venas rhythmorum collatione penſabant, ut de Herophilo teſtatur *Martianus Capella.* Non ineptè, loca dolentia decantare: *Cælius* dixit, quod à fiſtulatore quodam factum legimus, id quod *Galenus*, καταυλεῖν τοῦ τόπου dixit, *ſuper loco affecto Tibia canere.*

CAPUT III.

Tibia *in Regum Inauguratione.*

QUod tubis, buccinis, & Tibiis apud Iſraelitas Regi jam inaugurato, cum à populo eſſet acclamandus, & ab inaugurationis loco deducendus, præcineretur, ſuſpicatur *Fortun. Scacchius* Myroth. 3. cap. 57. Atque hanc præcentionem comprobari credit 1. *Reg.* 1. ubi de prima Salomonis inauguratione agitur. Poſtquam enim ſacer textus adorationis ad ſonum buccinæ meminiſſet, de Præcentione, quæ tunc per-

perſonabat, cum Rex ad thronum deducebatur, his loquitur verbis: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium Tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* Apud *Boxhornium* in Hiſtoria univerſali hunc morem de Judæis qui Bagdadin incolebant refert *Benjamin Tudelenſis*, natione Hiſpanus, religione Judæus, cujus exſtat Itinerarium, ſecunda editione à *Conſtantino L'Empereur* illuſtratum. Is autem de Judæorum horum Capitis Exulum, ut vocant, tanquam Regis, inauguratione ita: *Cæterum quo tempore Exulum Caput creare ſolent, ingentem pecuniæ vim cum Regi tum Principibus, & magiſtratibus erogat: idque eo die quo ipſi Rex manuum impoſitione poteſtatem confert. Tum in curru Regis ſecundario collocatum, ab aula Regis magni domum propriam cum tympanis, & fiſtulis deducunt, ubi deinde Academicis manum imponit.*

CA-

CAPUT IV.

Tibia *in Triumphis.*

CUm Tibicine, priſcis temporibus, triumphum actum eſſe, teſtimomonium *Cenſorini* probat de die Natal. cap. 12. Ejuſque rei exemplum habet *Appian. Alexandrinus*, apud quem in Scipionis triumpho, Imperatorem lictores præibant, purpureis amicti veſtibus; tum citharœdorum & tibicinum turba ad Hetruſcæ ſimilitudinem pompæ: Hi ſuccincti, coroniſque aureis redimiti ſuo quiſque ordine canentes, pſallenteſque prodibant. De quibus conſule *Panvinium* lib. de Triumphis. Hinc C. Duillius, qui primus navalem Triumphum ex Pœnis retulit, quotieſcunque epulaturus erat, ad funalem cereum præeunte Tibicine, à cœna domum reverti ſolitus eſt, inſignem bellicæ rei ſucceſſum nocturna celebratione teſtando, ut *Valer. Maximus*

lib. 3. cap. 6. Factum id ut triumphi quondam acti commemorationem cottidie repræſentaret, ſi credimus *L. Floro* lib. 2. cap. 2. *Victor ergo apud Liparas, merſa & fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. Cujus quod gaudium fuit? Cum Duillius Imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi Tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet.* De Duillio idem teſtatur *S. Aurelius Victor* de Vir. Illuſtrib. Et de eodem *Silius Italicus* lib. 6.

Cui nocturnus honos, funalia clara, ſacerque
Poſt epulas Tibicen adeſt.

Hunc autem honorem ſoli ſibi conceſſum toto vitæ tempore conſervavit. *Cicero* de ſenectute: *C. Duillium, M. filium, qui Pœnos primus claſſe devicerat, redeuntem è cœna ſenem ſæpe videbam puer. Delectabatur cereo funali & tibicine: quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat. Bulengerus* de Triumph.

cap.

cap. 28. uſum hunc Tibiæ ita diſpeſcit, ut illam in ovatione, tubam in triumpho adhibitam velit, quod confirmat ex *Plutarcho* de ovatione Marcelli.

CAPUT V.

Tibia *in Bello.*

AD milites congregandos, & exercitum, inſtructa acie, excitandum tranſiit Tibiarum apud veteres uſus, quem intento digito monſtrat *Nonnus* Dionyſ. lib. 28.

——— ἀολλίζων δὲ μαχητὰς
Βάρβαρος ἐσμαράγησεν ἀγέστρατος αὐλὸς
Ἐνυοῦς.

— Congregans verò milites
Barbara reſonabat exercitum excitans
Tibia Bellonæ.

Idemque non uno in loco apud eum reperio, Dionyſ. lib. 14. & 20. atque 39. Præcipuè verò fortiſſimi Lacedæmonii cum Tibia ſub ſignis erant, ex *Athenæo* lib. 14. Cui inter alios adſtipulatur

Stobæus Serm. 42. *Mittuntur autem una cum Rege vates, medici & tibicines. Tibiis enim ad pugnas pro tubis ſemper utuntur.* De Lacedæmoniis hoc refert expeditionem in externam regionem parantibus, quippe illi pro tubis, quarum uſus apud alios in bello viguit, Tibias elegerunt, non ſine ratione, ſi credimus *Polybio* lib. 4. *Neque exiſtimandum, veteres Cretenſes & Lacedæmonios, loco tubæ Tibiam & rhythmum* [ἀυλὸν καὶ ῥυθμόν] *ad bellum ſine cauſa uſurpaſſe.* Paulo aliter de Cretenſibus *Martianus Capella* lib. 9. *Cretenſes dimicabant ad citharam, Lacedæmonii ad Tibias.* Idem de his confirmat *Gellius*, & autorem *Thucydidem* laudat lib. 1. cap. 11. *Auctor hiſtoriæ græcæ graviſſimus Thucydides Lacedæmonios ſummos bellatores, non cornuum tubarumque ſignis, ſed Tibiarum modulis in prælìis uſos eſſe refert.* Et mox: *Cum procinctæ igitur claſſes erant & inſtructæ acies, cœptumque in hoſtem progredi, tibicines inter exercitum poſiti, canere inceptabant.*

Ea

Ea ibi præcentione tranquilla & venerabili ad quandam quaſi militaris muſicæ diſciplinam, vis & impetus militum, ne ſparſi diſpalatique proruerent, cohibebant. Solonis hoc admonitionibus factum eſt, ut ad Tibiam aciem inſtruerent, ſi verus eſt *Sextus Empiricus* Adv. Matemath. lib. 6. Sed *Max. Tyrius* Diſſert. 21. perhibet apud Spartiatas ſuos hoc excogitaſſe Lycurgum, qui Tibiam pro Duce militari juventuti in præliis præire voluit. Illi poſtea ſequebantur & tripudiantes hoſtem invadebant. In bello contra Meſſenios, ut annotat *Patricius* de Republ. lib. 2. tit. 2. cum jam penè ſuccumberent in acie Lacedæmonii, hoc animadvertens Tyrtæus tibicen peregregius mutatis Tibiæ modulis adeo militum animos in pugnam concitavit, acrioreſque reddidit, ut Meſſenios jam penè victores Lacedæmoniis ſubjecerit. Quippe morem illum ingrediendi ad Tibicinum modulos in prælio inſtitutum à Lacedæmoniis, refert ex *Ariſtotele Gellius*,

quò manifeſtior fieret exploratiorque militum ſecuritas & alacritas. *Nam diffidentiæ*, ut ait, *& timori cum ingreſſione hujuſcemodi minimè convenit, & mœſti atque formidantes ab hac tam intrepida ac tam decora incedendi modulatione alieni ſunt.* Unde Ageſilaus quærenti cuipiam, quare ad Tibias dimicarent Spartiatæ? Reſpondit: Ut cum ad modos incedunt, ignavi & fortes eluceſcant, ex *Plutarch.* in Apoph. Contrarium autem exiſtimat *Thucydides* apud *Gellium* loco ſupra allato, Tibiis in re militari progreſſui atque receſſui ſignum datum, non prorſus ex aliquo ritu religionum, neque rei divinæ gratia, neque etiam ut excitarentur atque vibrarentur animi, quod cornua & litui moliuntur, ſed contra, ut moderatiores fierent, quod tibicinis numeris temperatur. Nihil enim in adeo in aggrediendis hoſtibus, atque in principiis prælliorum ad ſalutem virtutemque aptius eſſe, quam ſi permulcti ſonis mitioribus, non immodicè ferocirent. Hinc *Plutarchus*

tarchus lib. de Cohib. Iracund. Lacedæmoniis pugnaturis concentu Tibiarum iram ademtam teſtatur. Ideoque ex barbaris multi Legatos ad hoſtes cum Tibiis & cithara miſerunt, ut eorum infeſtas mentes emollirent, quemadmodum *Athenæus* lib. 14. ubi etiam ex *Herodoto* refert Lydos in exercitu concinentes habuiſſe fiſtulatores & fidicines atque fœminas Tibicinas, id quod ex eodem apud *Gellium* legitur lib. 1. cap. 2. Tyrrhenos ad Tibiam pugnare, ex *Ariſtotele* tradit *Pollux* lib. 4. cap. 7. De Thebanis *Statius* Thebaid. lib. 8.

Thebanique urunt ſonitus, & amara laceſſit
Tibia......

Ad Tibiam Amazones arma tractarunt, ut ex *Martiano Capella* probo qui lib. 9. *Quid Amazones? Nonne ad calamos arma tractabant? Quarum una, quæ concipiendi ſtudio venerat, cum Alexandrum ſalutaret, donata Tibicine, ut magno munere, gratulata deceſſit.* In caſtris quoque Romanis Tibiarum uſus

fuit, vel cum ad concionem vocarent, vel cum ſilentium dicerent, quod notat *Scaliger* de Art. Poët. lib. 1. cap. 20. Imo quot in Romanorum exercitu fuerint Tibicines, inde elucet, quod Servius Tullius apud *Livium* lib. 1. Tibicines Cornicineſque in tres centurias diſtribuerit: *Quinta claſſis aucta, centuriæ triginta factæ: fundas, lapideſque miſſiles hi ſecum gerebant. In his accenſi, cornicines, tibicineſque in tres centurias diſtributi. Undecim millibus hæc claſſis cenſebatur.* Ita etiam *Martian. Capella* lib. 9. *In Italia Sibaritas tibicines ad prælia præire quis neſcit?* Turcæ etiam Tibiarum concentum cum tympani ſonitu conjungunt, edocti ab Arabibus, ſi fides erit *Bellonio*, ita referenti lib. 3. ſingul. c. 18.

CA-

CAPUT VI.

Tibia *in Hymnis, & Deorum placationibus apud Paganos.*

AD Hymnos & Deorum venerationes uſitata eſt Tibia, nec male cum Diis ſuis actum putarunt gentiles, ſi tantùm in hymnis, eorum honori dicatis, hoc voluptatis genus ad eos demulcendos adderent. Non infrequentem hunc morem fuiſſe plurimi teſtantur. *Iſidorus* lib. 2. cap. 15. *Ut enim*, inquit, *in veneratione Divina Hymni, ita in Nuptiis Hymenæi, in funeribus threni & lamenta ad Tibias canebantur.* Cybeles hymnos, quos *Matroa* vocarunt, primus Tibia cecinit Sirites, ut ex *Athenæi* lib. 14. conſtat, cum quo in eandem conſpirat ſententiam *Pollux* lib. 4. c. 10. σειρίτης κατηύλησε τὰ μητρῷα πρῶτος. *Dalecampius* μητρῷα vertit *Cereales hymnos.* Apud *Apulejum* de Deo

Socrat. numina Barbara ſtrepitu cymbaliſtarum, & tympaniſtarum, & *choraularum* gaudent, contra Ægyptia numina plangoribus, Græca choreis. In Minervæ hymnis uſum Tibiarum probat *Cæl. Rhodiginus* Lect. Antiq. lib. 9. cap. 7. Eundemque ad hymnos Apollinis in ludis Pythicis accommodatum, ante *Natal. Comitem* Mythol. lib. 5. cap. 2. teſtantur abunde *Euripides* in Troadibus, & *Sophocles* Trachin. Nemo autem clariùs *Statio* has ad Tibiam placationes in Hymnis Deorum refert, qui Thebaid. lib. 8.

—— Gemina æra ſonant, Idæaque terga
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.
Tunc dulces ſuperos atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique ſacri reſonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum.

Introductus autem in hymnis eſt hic Tibiarum uſus propter miſeram ſuper-

perſtitionem, qua occæcati crediderunt Pagani, hoc Deos ſuos iratos miteſcere & ad tranquillitatem ferventes animos componi, quod eleganter proſequitur *Arnobius*, quem ita lib. 7. locutum accepimus: *Etiamne Dii æris tinnitibus, & quaſſationibus cymbalorum* (afficiuntur?) *Etiamne ſymphoniis? Quid efficiunt crepitus Scabillorum? ut cum eos audierint Numina honorificè ſecum exiſtiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant. An numquid ut parvuli puſiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis, eadem ratione omnipotentia Numina Tibiarum ſtridore mulcentur?* Deteſtanda hæc Gentilium conditio fuit, qui non judicarunt indignum eas Diis tribui voluptates, quibus corpora terrena delectantur & quas expetunt aures, enervati pectoris diſſolutione mollitæ, quem ipſorum errorem, non minus eleganter quam piè ipſis iterum objectum ex *Arnobio* referam, qui Adverſ. Gent. lib. 7. *Vos*, inquit, *æris tinni-*

tibus & Tibiarum ſonis, vos equorum curriculis & theatralibus ludis, perſuaſum habetis Deos *& delectari, & affici, iraſque aliquando conceptas eorum ſatisfactione molliri: nos inconveniens ducimus, quinimo incredibile judicamus, eos qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis tranſierint ſummitate, in voluptatibus habere atque in deliciis eſſe res eas, quas homo ſapiens rideat, & quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quam infantibus parvulis & trivialiter & populariter inſtitutis.*

CAPUT VII.

Tibia *in Sacris & Sacrificiis Gentilium.*

IN ſacris etiam, quæ Diis ſuis ſolvebant Gentiles, Tibia introducta eſt, ut ideo *Sacrifica Tibia*, *Senecæ*, in Agamemn. Et *Ovidius* Faſt. lib. 6.

Can-

Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis.

Eadem mente aris aſſignat carmen, ad Tibiam cantatum, *Propertius* lib. 4. El. 6.

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.

Quam hic intelligat Tibiam alibi diſputamus, nunc propoſiti ratio exigit tantùm ſingula conſiderare quæ uſum Tibiarum ſpectant in ſacris & ſacrificiis Veterum.

A funeribus ad ſacrificia Tibiarum uſus tranſiit, quod ex *Iſidoro* confirmo, qui Orig. lib. 2. cap. 20. *Tibias*, inquit, *excogitatas in Phrygia ferunt: has quidem diu funeribus adhibitas, mox & ſacris Gentilium.* Primus hunc uſum ad ſacrificia tranſtuliſſe creditur Midas cum Matrem ſuam inter Deos reponeret, perhibente *Euſtathio* lib. 17. Iliad. Nec in omnibus ſacrificiis adhibitas eſſe conſtat ex *Plutarcho*, qui θυσίας interdum eſſe ἀχόρους καὶ ἀναύλους oſtendit. Abidi

di Oſiris colebatur ſed in ejus templo, teſte *Strabone* lib. 17. non licebat, nec Tibicini, nec citharœdo ſacrificium auſpicari, quemadmodum mos erat aliis Diis. Apud Tenedios lex fuit, ſi credimus *Diodoro Siculo* lib. 5. ne Tibicinum quiſquam templum ingrederetur, propterea quod novercæ calumniis tibicen quidam falſo teſtimonio adſtipulatus fuiſſet. De Nerone etiam perhibet *Suetonius*, quod, quo primum die poſt exceſſum Auguſti curiam intravit, quaſi pietati ſimul & religioni ſatisfacturus, thure quidem ac vino, verum ſine Tibicine ſupplicaret, Minois exemplo, qui paria in morte filii olim fecerat. Frequentior tamen mos viguit non ſine Tibicine ſacrificia peragere, quem receptum pleriſque memorat *Macrobius* lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 3. *Ideo canere cœlum etiam Theologi comprobantes, ſonos muſicos ſacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra vel cithara, apud nonnullos Tibiis, aliiſve muſicis inſtrumentis fieri ſolebant.*

De

De Tibicinibus Romanis qui ſacris publicis præſto erant, illuſtrem planè *Gruterus* ſuggerit Inſcriptionem Pag. 269. Cujus partem hic adducam, quæ ad rem noſtram facit:

TIBICINES. ROMANI
QVI. SACRIS
PVBLIC. PRAEST. SVNT.

Ex hac Inſcriptione aliam commodè explico, quam affert *Gruterus* Inſcript. Pag. 175. quæ in hunc modum ſe habet:

COLLEGIO TIBICINVM.
ET. FIDICINVM ROMANORVM
QVI. S.P.P.S.
TI. IVLIVS. TYRANNVS.
MVNIS. PERPETVVS. ET
VLIVS. TYRANNVS. F.
H.C.D.D.
DEDICATVM. K. MART.
RSO. SERVIANO. II. L. FABIO.
IVSTO. COS.

Ubi S.P.P.S. ex inſcriptione ſuperiùs prolata interpretor; Qui *Sacris Publicis Præſto Sunt.*

Ideo-

Ideoque *Templorum Tibicines* dicuntur apud *Jul. Firmicum* lib. 4. cap. 7. Et *Tibicines ſacrorum* apud *Gellium* lib. 1. cap. 12. Inter miniſtros Sacerdotum numerantur à *Roſino* Antiq. Rom. lib. 3. cap. 31. Imò ipſos Sacerdotes pro Tibicinibus ſumptos non obſcurè elici poſſe videtur ex eleganti apud *Gruterum* Inſcriptione, pag. 30. ubi *Sacerdotis Tibicinis Albii Verini* mentio fit.

Cum Tibicines ab uno ſacrificante ad alium, qui etiam rem divinam faceret, tranſirent, proverbium ortum eſt: *Tranſire Tibicinis Latini modo*, quo *Cicero* utitur pro Muræna. Nam Romani in ſuis ſacrificiis Latinis plerumque Tibicinibus uſi ſunt. Græci tamen meminit *Varro* lib. 3. de R. R. *Sed non in Italia quos tibi ſacrificanti ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extremum litus.*

Priſca religione obſervatum jus fuit Tibicinum in æde veſcendi, eorum nempe, qui ſacris inſervierunt. De qua re inſignis apud *Livium* hiſtoria legitur

tur lib. 9. quod Tibicines prohibiti in æde Jovis veſci, hoc jus, antiquitùs traditum, ſibi ereptum ægre ferentes, Tibur uno agmine abierint, adeo ut nemo in urbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret. Ejus rei religio tenuit Senatum legatoſque Tibur miſit, qui darent operam ut hi homines Romanis reſtituerentur. Tiburtini benigne polliciti, totam rem ita referente *Livio*, primum accitos in curiam hortati ſunt, ut reverterentur Romam: Poſtquam perpelli nequibant, conſilio haud abhorrente ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die feſto alii alios, per ſpeciem, celebrandarum cantu epularum cauſa invitant, & vino oneratos ſopiunt: atque ita in plauſtra ſomno victos conjiciunt ac Romam deportant. Nec prius ſenſere, quàm plauſtris in foro relictis plenos crapulæ eos lux oppreſſit. Tunc concurſus populi factus, impetratoque ut manerent, datum, ut triduum quotannis ornati cum cantu per urbem vagarentur: reſtitutumque in æde veſcendi

jus

jus iis, qui ſacris præcinerent. Hoc eorum jus in Capitolio publice veſcendi confirmat *Cenſorinus* de Die Nat. cap. 12. Et hinc Tibicines pingues paſſim ab Autoribus appellantur. Quo ſenſu explicandus eſt *Virgilius* lib. 2. Georg.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Pro tibicine qui in ſacrificiis eburneis Tibiis præcinuit, & *Servius* pinguem notat, ſcilicet victimarum carnibus. A quo vix diverſus eſt *Plautus* Aulul. Act. 2. Sc. 5.

At nunc tibi dabitur pinguior Tibicina,

Quippe cum Tibicinæ etiam frequenter conviviis intereſſent, ut non potuerint non hoc nomine jure ſignari. Unde Tibicinis vitam vivere, erat lautè quidem, ſed alieno ſumptu, de quo *Caſaubonus* ad *Athenæum* lib. 1. cap. 8. Ita *Plautus* Moſtellar. Act. 3. Scen. 2.

Muſice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino, & victu, piſcatu probo & electili
Vitam

Vitam colitis,

Cur autem in ſacrificiis ſuis Tibiarum incentiones tam neceſſarias crediderunt Pagani, non obſcurum eſt meliores Autores pervolventi, miſeraſque illorum ſuperſtitiones perluſtranti, qui hanc aurium voluptatem Diis ſuis gratam putarunt. Unus ex variis hoc illuſtrat *Cenſorinus* de die Natal. cap. 12. ubi de Muſica ſermo eſt: *Nam niſi grata eſſet*, inquit, *immortalibus Diis, qui conſtant ex anima Divina, profectò ludi Scenici placandorum Deorum cauſa inſtituti non eſſent: Nec Tibicen omnibus ſupplicationibus in ſacris ædibus adhiberetur: nec cum Tibicine triumphus ageretur, non Apollini cithara, non Muſis Tibiæ, cæteraque id genus eſſent attributa. Non Tibicinibus, per quos Numina placantur, eßet permißum aut ludos publicè facere, aut veſci in Capitolio.* Præterea Tibicinem canere oportuit in ſacrificiis ne quid infauſti exaudiretur, quod à *Roſino* annotatum lib. 3. Antiq. cap. 39. ſed ante eum ex *Plinio* idem

mih

mihi conſtat lib. 28. cap. 2. Cujus moris origo forſan ex eo deduci poterit, quod ex *Plutarcho* de ſuperſtitione refert *Cauſſinus* Symbol. Ægypt. Sapient. lib. 2. Hierogl. 74. Nimirum Carthaginenſes Saturno filios immolabant, & qui nullos habebant, à pauperibus miſerabiles victimas emere cogebantur. Adſtabat autem in ipſo ſacrificio Mater rigida, & abſque gemitu: Si enim ingemuiſſet jacturam faciebat & honoris & filii. Interim ante ſtatuam omnia Tibiarum cantu, & tympanorum pulſu perſonabant, ne quis clamor exaudiretur.

Non ſolum in ipſis ſacrificiis, opere ſuo fungente Sacerdote cum aliis ſacrificii miniſtris, Tibiæ præcinuerunt, ſed eædem ad ſacra convocarunt Ethnicos, & à Tibicinibus ſacrificium auſpicatum quod apud *Strabonem* obſervo lib. 17. Et clara ejuſdem ritus veſtigia deprehendo apud *Heliodorum* Æthiop. lib. 3. quem ita interpres reddidit: *Subſequebatur hos aliarum victimarum di-*

diverſa multitudo. Cujuslibet autem animantis genus, ſeorſim & ordine ducebatur, cum Tibia & fiſtula initiatoriam quandam & denuntiatricem ſacrificii partem inciperet. Sic *Statius* Thebaid. lib. 5. verſ. 94.

> — *Cum ſacra vocant, Idæaque ſuadet*
> *Buxus* ......

Et has, quibus præviis victimas obtulerunt, eas fuiſſe credo, quas *Præcentorias tibias* vocarunt, quemadmodum *Thurarias*, quibus uſi ſunt cum thus in aram inderent nec immolarent hoſtias. Quippe non ſolum Thus apud Romanos, ſed etiam hoſtiæ ad præconem & tibicinem immolari ſolitæ. De his elegans occurrit *Ciceronis* locus in Orat. contra Rullum: *Erant hoſtiæ majores in foro conſtitutæ, quæ illis prætoribus de tribunali, ſicut à nobis Conſulibus de conſilii ſententia probare ad præconem & Tibicinem immolabantur.* Nec aliter intelligendus eſt *Catullus* lib. 4. El. 1.

Par-

Parva ſaginati luſtrabant compita porci,
Paſtor & ad calamos exta litabat ovis.

Ex marmoribus & ſaxis, ubi ſacrificia veterum conſpiciuntur expreſſa, hæc non parum lucis mutuantur. Apud *Gruterum* pag. 1007. ſaxum exſtat delineatum quod ſacrificii actum exhibet, ſacerdoti adſtante Tibicine, qui geminas Tibias ori inſertas inflat; adeſt etiam victima quæ ultimam necem exſpectat, quemadmodum ex *Grutero* ejus icon demonſtrat.

Sylvani etiam ſacrificium non ſine Tibiarum præcentione peractum evincit Tabula marmorea à *Grutero* deſcripta, cujus delineatio graphica à *Tomaſino* exhibetur lib. de Donar. qui eam *Jo. Bapt. Caſalio* debuit. Ipſam illam Tabulam Marmoream, hic adjectam, nuper Romæ contemplatus ſum in Muſæo Amiciſſimi *Jo. Petri Bellorii*, qui Antiquitatis Veſtigia æterna cum fama ab oblivione vindicat.



Parva ſaginati luſtrabant compi
porci,
Paſtor & ad calamos exta litab
ovis.

Ex marmoribus & ſaxis, ubi ſacri cia veterum conſpiciuntur expreſſ hæc non parum lucis mutuantur. Apu *Gruterum* pag. 1007. ſaxum exſtat d lineatum quod ſacrificii actum exhibe ſacerdoti adſtante Tibicine, qui gem nas Tibias ori inſertas inflat; adeſt tiam victima quæ ultimam necem e ſpectat, quemadmodum ex *Grute* ejus icon demonſtrat.

Sylvani etiam ſacrificium non ſi Tibiarum præcentione peractum evi cit Tabula marmorea à *Grutero* d ſcripta, cujus delineatio graphica à *T maſino* exhibetur lib. de Donar. q eam *Jo. Bapt. Caſalio* debuit. Ipſa illam Tabulam Marmoream, hic a jectam, nuper Romæ contemplat ſum in Muſæo Amiciſſimi *Jo. Pet Bellorii*, qui Antiquitatis Veſtig æterna cum fama ab oblivione vinc

ca





SACRVM. SANCTO. SILVANO. AVG. VOTO. SVSC. EX. VIS

at. Stat ibi Sylvanus inter quercum & almam, altera manu falcem habens, ltera ramum, à ſiniſtris duo adſtant, uorum alter porcum, Sylvano ſarum;. litandum tenet. A dextris iner duos ruſticos adeſt agreſtis puer, qui pone quadratam aram diſtentis buccis geminam Tibiam inflat. Quippe, quod notandum, nullibi ſacrificium xpreſſum videre eſt, quin ibidem aliquis luplicem Tibiam inflans conſpiciatur. s ſenſus eſt *Virgilii* lib. 9. Æneid.

—Ire per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat
Tibia cantum.

Quod idem manifeſtiſſime deprehendiur in nummis æreis Domitiani, ubi in udis ſæcularibus ſacrificium exprimiur, quales duos hic referendos cenſui,

In Columna Trajana ſecundum explicationem *Ciacconii* num. 187. Traanus cum Dacis congreſſurus, Deos acrificio prius placandos cenſet. Sacriicat autem ibi Trajanus velato capite, ut mos eſt Sacerdotibus, vinum vel ſan-




cat. Stat ibi Sylvanus inter quercum & palmam, altera manu falcem habens, altera ramum, à ſiniſtris duo adſtant, quorum alter porcum, Sylvano ſacrum, litandum tenet. A dextris inter duos ruſticos adeſt agreſtis puer, qui pone quadratam aram diſtentis buccis geminam Tibiam inflat. Quippe, quod notandum, nullibi ſacrificium expreſſum videre eſt, quin ibidem aliquis duplicem Tibiam inflans conſpiciatur. Is ſenſus eſt *Virgilii* lib. 9. Æneid.

—Ire per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat
Tibia cantum.

Quod idem manifeſtiſſime deprehenditur in nummis æreis Domitiani, ubi in ludis ſæcularibus ſacrificium exprimitur, quales duos hic referendos cenſui,


In Columna Trajana ſecundum explicationem *Ciacconii* num. 187. Trajanus cum Dacis congreſſurus, Deos ſacrificio prius placandos cenſet. Sacrificat autem ibi Trajanus velato capite, ut mos eſt Sacerdotibus, vinum vel ſan-


COS·XIIII
LVD SAEC·F
S C


COS.XIIII
LVD SAEC.F.
S C

ſanguinem mactatæ victimæ patera ſuper aram igne flammantem infundens. Adſtant ſigna, ſacerdotes, & Tibicines lauro coronati. *Fortunius Licetus* in Gemm. Annular. Antiq. Schemat. 32. Gemmæ imaginem exhibet ſacrificium ſuis repræſentantis adſtante Tibicine, & ſimul alius gemmulæ figuram ex Muſæo *Jo. Galvani* Patavii, quæ duas Tibias rectas inflantem hominem ad altare ſacrificii exprimit; Nos ambarum apographum verſa paginâ lectori curioſo damus.

Totus ordo ſolemnis ſacrificii elegantiſſimè quoad omnes partes adumbratur in figura marmoris antiquiſſimi *Bapt. Caſalio* tranſmiſſa ab Illuſtr. *Caſſiano à Puteo*, quam de Splend. Urb. Rom. partis 3. capiti 1. inſeruit. In hoc ſacrificio primò tres deferunt Caniſtrum ad ſacrificii neceſſaria. Sequuntur *quatuor Tibicines coronati, longas Tibias inflantes*, atque alii quinque juvenes cum galeis & ſcutis. Præterea ſex alii juvenes, ſeu





Camilli, ſacrificio miniſtrantes ferunt duo magna candelabra ad ſuffumigandum odoramenta ſacrificii. Subſequuntur alii duo, quorum alter ſenior plectrum ſonat, *alter junior diſtentis buccis geminam Tibiam inflat.* His proximi conſpiciuntur tres, qui longum aliquod lignum portant, & alii duo ſenes cum faſcibus & ſecuribus: tres autem adſiſtunt Popæ, quorum unus cum acerra defert ollam magnam ad coquendas carnes ſacrificii, & alii duo tenent bovem mactandum; ex his unus fert ſupra caput ciſtam repletam cultris ad ſacrificium neceſſariis: Demum exſtat ſacerdos capite cooperto ſupra flexilem tripodem ſacrificans, *cum tibicine*, qui Tibiam inflat, qua *in aurem ſacerdotis cani ſolebat*, ut loquitur *Servius* in Georg. lib. 2.

Ex toto ſacrificii ordine ſolos Tibicines Tibias longas inflantes hic adducam, unde commodè intelligimus longis Tibiis uſos ſacrificantes, quod & proverbium indicat de iis qui inutilia

fa-

Camilli, ſacrificio miniſtrantes feru
duo magna candelabra ad ſuffumiga
dum odoramenta ſacrificii. Subſequu
tur alii duo, quorum alter ſenior p
ctrum ſonat, *alter junior diſtentis bu*
cis geminam Tibiam inflat. His proxi
conſpiciuntur tres, qui longum a
quod lignum portant, & alii duo
nes cum faſcibus & ſecuribus: t
autem adſiſtunt Popæ, quorum ur
cum acerra defert ollam magnam
coquendas carnes ſacrificii, & alii d
tenent bovem mactandum; ex his u
fert ſupra caput ciſtam repletam c
tris ad ſacrificium neceſſariis: Dem
exſtat ſacerdos capite cooperto ſu
flexilem tripodem ſacrificans, *cum*
bicine, qui Tibiam inflat, qua *in*
rem ſacerdotis cani ſolebat, ut loq
tur *Servius* in Georg. lib. 2.

Ex toto ſacrificii ordine ſolos T
cines Tibias longas inflantes hic ad
cam, unde commodè intelligimus l
gis Tibiis uſos ſacrificantes, quod
proverbium indicat de iis qui inu



ИБ

aciunt, ut apud *Xiphilinum* in O-
hone: *Itaque cœpit eum ſubito facti
œnitere, dixitque: Quid me oportebat
ongis Tibiis canere* (μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν)
Quod proverbium familiare ipſi fuiſſe
radit *Suetonius* in Othon. In eos enim
icitur qui aliquid parum ad rem fa-
iunt, nimirum, quia parvas Tibias
um aliquis commodè tractare poſſit,
ongas ſumit ad quas minus eſt ido-
eus, de quo adi *Turnebum* Adv. lib. 5.
ap. 1. Qui has longas Tibias, quibus
upplicantes utebantur, inflarunt Spon-
aulæ dicti ſunt ex mente *M. Victorini*
e Spondæo: *Dictus à tractu cantus,
ui per longas Tibias in templis à ſup-
icantibus editur: unde Spondaulæ di-
bantur, qui hujuſmodi Tibias inflare
nſueverunt.* Parum diverſè *Spondia-*
vocantur *Iſidoro* Orig. lib. 1. cap. 16.
*ondæus tractus quidam dicitur circa
res ſacrificantium, unde qui Tibiis
nebant in ſacris gentilium ſpondiales
ebantur.*
Nonnunquam Tubas in ſacrificiis ad-

c
c
1
f
1
e
f
l
r
t

c
c
g
p

faciunt, ut apud *Xiphilinum* in Othone: *Itaque cœpit eum ſubito facti pœnitere, dixitque: Quid me oportebat longis Tibiis canere* (μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν) Quod proverbium familiare ipſi fuiſſe tradit *Suetonius* in Othon. In eos enim dicitur qui aliquid parum ad rem faciunt, nimirum, quia parvas Tibias cum aliquis commodè tractare poſſit, longas ſumit ad quas minus eſt idoneus, de quo adi *Turnebum* Adv. lib. 5. cap. 1. Qui has longas Tibias, quibus ſupplicantes utebantur, inflarunt Spondaulæ dicti ſunt ex mente *M. Victorini* de Spondæo: *Dictus à tractu cantus, qui per longas Tibias in templis à ſupplicantibus editur: unde Spondaulæ dicebantur, qui hujuſmodi Tibias inflare conſueverunt.* Parum diverſè *Spondiales* vocantur *Iſidoro* Orig. lib. 1. cap. 16. *Spondæus tractus quidam dicitur circa aures ſacrificantium, unde qui Tibiis canebant in ſacris gentilium ſpondiales dicebantur.*

Nonnunquam Tubas in ſacrificiis ad-

hibitas obſervo, uti inde probo, quod apud *Feſtum*, *Armiluſtrum* dicatur *feſtum quo armati res divinas faciebant & dum ſacrificabant, Tubis canebant.* Apud *Varronem Tubiluſtrum* dicitur, *quod eo die ſacrorum Tubæ luſtrantur.*

Præterea in conſecratione præſentem Tibicinem teſtatur *Cicero* in Orat. pro domo ſua: *An conſecratio*, inquit, *nullam habet jus, dedicatio eſt religioſa? Quid ergo illa tua tum obteſtatio Tibicinis? quid foculus? quid preces? quid priſca verba voluerunt?* Sic *Xiphilinus* in Auguſto, de conſecratione poſt mortem Auguſti, thus adhibitum in ſacrificio refert, Tibicinem autem adeſſe prohibitum.

Phryges in Dindymenes ſacris choreas ad Tibiam agebant atque ad Phrygium modum ſaltabant, teſte *Seneca* in Troad.

Non inter aras mobili velox pede
Revocante flexo concitos cornu modos
Barbarica priſco templa ſaltatu coles.

Hujus moris veſtigia non obſcura de-

pre-

prehendes in *Euripide* in Troad. *Herodiano* Hiſt. ſui Temp. lib. 5. atque *Heliodoro* Æthiop. l. 7. Nos autem hinc tranſibimus ad ſacra Magnæ Deûm Matris explicanda, in quibus Tibiarum præcentionem frequentiſſimam demonſtrabimus.

CAPUT VIII.

Tibia *in ſacris Magnæ Deûm Matris*.

ALmo fluvius erat Urbi Romæ vicinus, apud quem Romani ſacra olim Cybeles faciebant eodem ritu, quo Galli ſacerdotes in Phrygia, ſimulachrum Deæ, cultuſque victimarios facientes, adhibitis Tibiarum cantibus. Totam rem *Ovidius* illuſtrat lib. 4. Faſtor.

Eſt locus, in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

Illic purpurea canus cum veſte Sacerdos
Almonis Dominam ſacraque lavit aquis.
Exululant comites furioſaque Tibia flatur.

Quod pariter in Phrygia cum Tibiarum incentione culta ſit Deûm Mater, ex multis id probantibus unum afferam *Claudianum* de Rapt. Proſerp. v. 266.

Mater iò, ſeu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio Buxus circumſonat horrida cantu,
Seu tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & ſtrictos Curetum reſpicis enſes.

Dicebantur enim ejus ſacerdotes Curetes, unde *Sidon. Apollinaris* Carm. 9. verſ. 202.

Non hic Dindyma, nec crepante Buxo
Curetas Berecynthiam ſonantes.

Iidem aliis Corybantes ſunt, de quibus nos

nos lib. 2. cap. 1. De utriſque hic elegantem *Claudiani* locum afferam, qui lib. 2. in Eutrop. verſ. 279.

Interea gelidæ ſecretis rupibus Idæ
Dum ſedet, & thyaſos ſpectat de more Cybelle,
Curetumque alacres ad Tympana ſuſcitat enſes;
Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, ſummoque volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.
Obſtupuere truces omen Corybantes & uno
Fixa metu tacitos preſſerunt orgia Buxos.

Ubi commodè omnem Cybeles in ſacris his apparatum indicat, quem fuſius hic explicare inſtituti ratio non exigit. De eo fuſius egerunt, *Pignorius*, *Roſinus*, & *Sylvius* Comment. ad Leg. 12. Tab. c. 17. quos conſulat cui volupe. Sufficit mihi ex condicto demonſtraſſe,

ut in aliis Veterum ſacris Tibiarum uſum adhibitum, ita & in Cybeles ſacris eundem non omnino neglectum. Luculentior cunctis mihi teſtis eſt *Catullus* Carm. 64.

— Cybelles Phrygia ad nemora Deæ
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant.

De ululatibus illis in ſacris Deûm Matris hic non multis agam, nec Attinis luctum fuſiùs explicabo, ex quo hunc ululatum ortum conſtat ex *Seneca* in Agamemn. verſ. 686.

Non ſi molles imitata viros
Triſtis laceret brachia tecum,
Quæ turritæ turba Parenti
Pectora rauco concita buxo
Ferit, ut Phrygium lugeat Attyn.

Ideoque *Ovidius* Art. Amat. lib. 1.

Iſta jube faciant, quorum Cybeleia Mater
Concinitur Phrygiis exululata modis.
Quippe hanc Phrygii modi, qui Tibiis canebatur, proprietatem libri hujus cap. 1. docui, ut mentes audientium ad furorem & inſaniam exagitaret, & hinc omnes ad Phrygia Cybeles ſacra, ubi Phrygio numero Tibia mentes ſtimulabat, admiſſi, quaſi furore correpti deſcribuntur. *Virgilius* in Ceiri verſ. 166.
Sæpe velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Ictave barbarica Cybeles antiſtita buxo:
Infœlix virgo tota bacchatur in Vrbe.
Nimirum talem inſaniam & furorem ratio ſacrorum exigebat, ut Attinis planctus imitarentur, & alia quæ hic proſequi animus non eſt.

Propterea quod tam neceſſarium in cultu Cybeles Tibiæ locum habuêre, ideo illam cum Tibiis ſemper finxerunt, ex *Arnobio* lib. 6. Adv. Gent. non repugnantibus antiquis marmoribus. De choraula, qui Matrem Idæam circumgeſtantibus cornu canens adam-

bulabat, *Apulejus* Metam. lib. 8. & paulo poſt hunc cum Tibiis Matris Idææ cultum evidentiſſime confirmat, ubi inquit: *Inibi Vir principalis, & aliàs religioſus, & eximiè Deum reverens, tinnitu cymbalorum & ſonitu tympanorum, cantuſque Phrygii mulcentibus modulis* (ita Tibiarum cantum exprimit) *excitus, percurrit obviam, Deamque* (Idæam Matrem) *votivo ſuſcipiens hoſpitio, nos omnes intra conſeptum domus ampliſſimæ conſtituit: numenque ſumma veneratione atque hoſtiis optimis placare conſtituit.*

Sacerdotibus, ſacris Phrygiæ Deæ initiatis, etiam ſtipem ad Tibiam colligere conceſſum fuit, quod apud *Ovidium* animadverto, qui lib. 1. de Pont. El. 1.

Ante Deûm Matrem cornu Tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?

Et talis Dionyſius ille fuit apud *Ælianum* Var. Hiſt. lib. 9. cap. 8. qui Corinthi multas variaſque vitæ viciſſitudines

nes expertus, ob extremam paupertatem tandem ſtipem ab hominibus cogendo tympanaque pulſando, & Tibiis modulando vitam tranſegit. Prohibitum autem erat, ut apud *Ciceronem* lib. 2. de Leg. ne, præter Idææ Matris famulos, eoſque juſtis diebus, quis ſtipem cogeret. Illis autem hæc licentia ſtipem poſcendi conceſſa eſt Lege à Metello lata, cujus cauſam *Ovidius* aperit loco ſupra citato:

.. Dic, inquam, cur hic ſtipe quærat opes?
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

Hanc ſtipem reſpexit *Seneca* de Benef. lib. 7. cap. 4. *Omnia*, inquit, *Deorum ſunt, tamen Diis poſuimus donum & ſtipem jecimus.*

CAPUT IX.

Tibia *in Feſtis publicis:*

QUinquatrus minuſculæ appellabantur Idus Juniæ, qui dies feſtus erat Tibicinum, cum feriati per urbem vagarentur, & convenirent in ædem Minervæ. Hujus verò feſti ulteriorem explicationem reſervabimus aptiori loco, ubi ſingula de Tibicinum ritibus olim notanda ubertim tractamus. Alias ſolemnitates cum Tibiarum cantu celebratas nemo diffiteri poteſt, niſi qui Veterum monumentis omnem fidem debitam derogare velit. Non temere *Seneca* in Agamemnone:

Tibi multifora Tibia Buxo
Solemne canit.

Inter diei feſti requiſita cantum numerat *Ovidius* Amor. lib. 3. Ecl. 10.

Feſta dies, Veneremque vocat, cantuſque merumque.

Hunc autem feſti diei cantum varia componebant inſtrumenta muſica, inter

ter quæ non ultimus locus Tibiæ noſtræ fuit. *Prudentius* Apotheoſ. Hymn. 2.

Hæc ait & varios jubet obmuteſcere cantus.
Organa, ſambucas, citharas, calamoſque, tubaſque.
Stulta ſuperſtitio tacuit, vox feſta quievit,
Quæ malè conſpicuæ celebrabat imaginis aurum.

In Junonis feſto ſolemnem Tibiæ cantum introducit *Ovidius* Amor. lib. 3. El. 13.

Caſta ſacerdotes Junoni feſta parabant,
Per celebres ludos, indigenamque bovem.

Et mox:

Accipit ara preces votivaque thura piorum,
Ara per antiquas facta ſine arte manus.
Hic ubi perſonuit ſolemni Tibia cantu
It per velatas annua pompa vias.

Pridie Nonas Aprilis, dies erant ludorum

porum Magnæ Deûm Matris, qui Megaleſia dicebantur, ſive ludi Megalenſes. Nec illa feſta ſine Tibiarum præcentione celebrata, quemadmodum luculento *Ovidii* teſtimonio confirmo, qui lib. 4. Faſt.

Protinus inflexo Berecynthia Tibia cornu
Flabit, & Idææ feſta parentis erunt.
Ibunt ſemimares & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulſa dabunt.

Minervæ geminum apud Athenienſes feſtum erat; πυναθήναια dicebantur, erant enim minora & majora; illa quotannis, iſta quinto ſolùm anno agitata. In minoribus triplex certamen fuit, equeſtre, gymnicum, & muſicum. Muſicum certamen cum Tibiis interdum agi ſolitum atque à Pericle inſtitutum memorat *Plutarchus* in ejus vita. Tibicinum in his feſtis præcinentium concentus, Συναυλία appellatur *Polluci* lib. 4. cap. 10.

Por-

Porrò in Feſtis Bacchi notabilem Tibiarum uſum deprehendo. Hunc arguit *Ovidius* Metam. lib. 3. verſ. 528.

Liber adeſt. Feſtiſque fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt. Miſtæque viris Matreſque nuruſque,
Vulguſque, procereſque, ignota ad ſacra feruntur.
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Pentheus ait; Ærane tantum
Ære repulſa valent? Et adunco Tibia cornu?

Non aliter *Ovidius* lib. 4. Metam. hæc Bacchi feſta cum Tibiis deſcribit:

— Et adhuc Minyeia proles
Urget opus, ſpernitque Deum, feſtumque profanat:
Tympana cum ſubito non apparentia raucis
Obſtrepuere ſonis, & adunco Tibia cornu,
Tinnulaque æra ſonant.

Juvenalis Sat. 6. verſ. 313.

Nota Bonæ ſecreta Deæ cum Tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant ululantque Priapi
Mænades ......

Mænas eſt furioſus Bacchi Sacerdos. Huc reſpexit *Perſius* Sat. 1. verſ. 99. Hinc *Euripides* in Bacchis inter triplex Bacchi officium recenſet verſ. 378. μετ' αὐλοῦ γελάσαι. Apud *Max. Tyrium* Diſſert. 33. in ſacris Bacchi, nocturni diſcurſus, choreæ, Tibiæque, & cantus nihil aliud ſunt quam diverſæ voluptates Bacchicæ, quæ repræſentantur in myſteriis. De feſtis Bacchi *Ariſtophanes* in Nubibus Act. 1. Sc. 4. quæ tertio quoque anno celebrabantur. *Trieterica* dicuntur *Ovidio* Metam. lib. 6. & *Statio* Thebaid. lib. 2. Aliàs *Orgia* nuncupantur, quæ *obſcura* vocantur *Catullo*, quia occulta erant & myſtica. Quorum omnem apparatum

& or-

& ordinem eleganter atque exactè adumbrat *Catullus* El. 65. ubi reliquis etiam adiungit horribilem *ſtridentis* barbaræ *Tibiæ cantum*. Huc reſpexit *Herodianus*, qui Hiſt. ſui Temp. lib. 5. de Antonino: *Procedens identidem ad Tibias & tympana, velut orgia numinis celebraret.*

CAPUT X.

Tibia *in Ludis, Spectaculis, atque Comœdiis.*

PUeros ſuos jam inde à teneris ludos exercere ad Tibiam nonnulli voluerunt. Hoc de Cretenſium pueris tradit *Heraclides* in Polit. quod, cum inter ſe pugnarent, adeſſent artifices qui Tibias accinerent. Quomodo Arcades pueros ad Tibiam ludicra ſua agitare aſſuefecerint, refert *Polybius* Megal. Hiſt. lib. 4. Et ex eo *Athenæus* lib. 14. in theatro etiam ſcenicíſque adultorum ludis

Ludis olim uſus Tibiarum permagnus fuit, qui in omni fere ludorum genere conceſſus apud *Ciceronem* lib. 2. de Legibus: *Jam ludi publici cum ſint cavea circoque diviſi; ſint corporum certationes, curſu & pugillatione, luctatione, curriculiſque equorum uſque ad certam victoriam circo conſtitutis: cavea, cantu, voce, ac fidibus & Tibiis. Dummodo ea moderata ſint uti lege præſcribitur.* Ab antiquis jam inde temporibus hunc Tibiarum in ſpectaculis uſum repetit *Horatius* de Art. Poëtic.

Tibia non ut nunc orichalco vincta, Tubæque
Æmula, ſed tenuis ſimplexque foramine pauco,
Aſpirare & adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.

Coſſ. enim M. Metello & M. Scauro, Cenſores artem ludicram ex urbe removerunt, præter Latinum Tibicinem cum cantore, & ludum talorum,

ita

ita perhibente *Aurel. Caſſiodoro* in Chronic. Illuſtrem de Tibicinis in ludis publicis officio locum ſuggerit *Phædrus* lib. 5.

Princeps Tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.
Is forte ludis, non ſatis memini quibus
Dum pecma rapitur, concidit caſu gravi,
Nec opinans ſiniſtram fregit Tibiam,
Duas cum dextras maluiſſet perdere.

Inter alias res atque ritus in ludis publicis olim ſervatos & ſine quibus vix ritè peragebantur, Tibiam adjungit *Cicero* de Haruſpic. Reſponſ. *An ſi ludius*, inquit, *conſtitit aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus ſi terram non tenuit, aut tenſam aut lorum omiſit, aut ſi ædilis verbo aut ſimpulo aberravit, ludi ſunt non rite facti, eaque errata expiantur, & mentes Deorum immortalium ludorum inſtauratione placantur*. Eadem ferè verba refert *Arnobius* Adv. Gent. lib. 4. iterum

iterum lib. 7. repetita.

In certaminibus etiam Pythicis in honorem Apollinis celebratis qui Pythonem ſerpentem occiderat, præcinuit Tibicen. Cujus rei admonemur ab *Horatio*, qui de Arte Poët.

— Qui Pythia cantat
Tibicen didicit prius extimuitque Magiſtrum.

Pythius dictus eſt ille tibicen apud *Propertium* lib. 2. El. 8. Huc alludit *Pindarus*, qui Pythior. Od. 12. Tibiæ hoc encomium tribuit:

εὐκλέα λαοσσόων μναστῆρ' ἀγώνων.

Illuſtrem admonitricem certaminum populum cientium.

Ubi refert etiam Midam in Pythiis pro Tibiæ cantu coronam ex Pythone reportaſſe. Secundis tamen Pythicis, ſi credimus *Pauſaniæ*, Tibiarum cantum reſpuerunt, quaſi non eſſet auditu fauſtus, & auſpicatus.

In Ludis Circenſibus Tibicines adhibitos fuiſſe notiſſimum eſt ex *Dionyſ. Halicarn.* lib. 7. qui in pompa Circen-

ſium ludorum poſt ſaltatores, armatos ſatyros ponit, qui Græco habitu Silenos repræſentantes incedebant, deinde agmen cithariſtarum, & Tibicinum, eos autem ſequi, qui acerras aureas argenteaſque geſtantes ſuffitum faciebant. De loco Tibicinum in Circenſibus conſule *Bulengerum* atque *Panvinium*, apud quos & eum graphicè depictum reperies.

In orcheſtra theatri, in qua chorus fuit, Tibiis canebant, ad tribunal ſive aram, quæ θυμέλη *Polluci*, à quo loco Theatri *Thymelici* dicti, de quibus *Salvianus* 6. de Gubernatione Dei: *Quis locus majores Chriſtianorum copias habeat, cavea-ne ludi publici, an atrium Dei? Et Templum omnes magis ſectentur an Theatrum? Dicta Evangelicorum magis diligant an Thymelicorum?* Ideoque in Græcis Epigramm. pag. 521. exſtat Theonis Tibicinis Epitaphium, qui mimo & Orcheſtræ voluptati inſervierat. Hanc autem theatri partem pulpitum nominat *Iſidorus* lib. 18. c. 44.

Cum

Cum quo conſentit *Seneca*, qui ex pulpito in theatris olim omne Tibiarum genus organorumque conſonuiſſe dicit Epiſt. 84. ubi eleganter etiam chorum, cui interponebantur Tibiæ, deſcribit: *Non vides*, inquit, *quam multorum vocibus chorus conſtet? Unus tamen ex omnibus ſonus redditur; aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viri, fœminæ: interponuntur Tibiæ: ſingulorum illic latent voces, omnium apparent.*

In ſpectaculis igitur ſcenicis valdè familiaris erat Tibia, quod vel ex ſolo *Apulejo* deprehendi poteſt, qui lib. 10. omnem ſpectaculi ſcenici ordinem adumbrat. Itaque poſt primitias ſpectaculi, ludicris ſcenicorum choreis dedicatas, & deinde aulæo ſubducto & complicitis ſipariis Paridis ſcenam diſpoſitam, inſuper inducit ſingulas Deas, Paridi oblatas, ſaltantes & cum Tibiis introëuntes. Adhibitam in Comœdiis Tibiarum præcentionem non aliud clarius demonſtrat, quam inſcriptiones omnes Comœdiarum *Terentii*. Ut

in

in Inſcriptione Andriæ : *Acta ludis Megalenſibus, M. Fulvio & M. Glabrione ædilibus curulibus. Egerunt L. Ambivius Turpio, L. Atilius Prænestinus. Modos fecit Flaccus, Claudii F. Tibiis paribus dextris & ſiniſtris. Et eſt tota Græca. Edita M. Marcello C. Sulpitio Coſſ.* Et idem ex reliquis colligitur. Ita in Eunucho, modulavit Flavus Claudii *Tibiis duabus dextra & ſiniſtra*: In Heautontim. Modos fecit Flaccus Claudii, & acta primum *Tibiis imparibus, deinde duabus dextris*: In Adelpho, modos fecit Flaccus Claudii *Tibiis Serranis*: In Phormione, *Tibiis imparibus*: In Hecyra, *Tibiis paribus.* Unde patet antiquum muſicæ hujus morem in theatris uſitatum, & carmina canticorum in veteribus Comœdiis ad Tibiam facta, modos autem attemperatos ab aliquo artis Muſicæ perito. Sed quænam ratio & differentia Tibiarum apud Veteres in fabulis fuerit, conſule *Aldum Manutium* de Quæſit. per Epiſt. lib. 3. Epiſt. 4.

Ab antiquis jam inde temporibus hanc conſuetudinem repetit *Diomedes* lib. 3. *Primis autem temporibus*, inquit, *ut aſſerit Tranquillus, omnia quæ in ſcena verſantur in comœdia agebantur. Nam Pantomimus & Pithaules & Choraules in comœdia canebant.* Ubi duplicem Tibiam in comœdia agnoſcit, dum non choraulem ſolum ſed & pithaulem introducit, & utriuſque uſum ſubjungit, aiens: *Cujus rei indicia produnt nobis antiquæ Comœdiæ. in quibus invenimus, acta Tibiis paribus, aut imparibus, aut ſerranis. Quando enim chorus canebat, choricis Tibiis, id eſt choraulicis, artifex concinebat, in canticis autem pithaulicis reſponſabat. Sed quod paribus Tibiis aut imparibus invenimus ſcriptum, hoc ſignificat, quod ſi quando monodio agebat, unam Tibiam inflabat, ſi quando ſynodio, utramque.* Non minus in Tragœdiis quàm Comœdiis hoc genus muſices, quod Tibiarum incentione conſtabat, uſitatum eſſe, præter *Philoſtratum* lib. 6. de Vit. Apollon. arguit

guit *Maximus Tyrius* Diſſert. 38. *Plane quemadmodum Tibias* (αὐλήματα) *ac citharas, aut ſi quæ præterea Dionyſiis in Tragœdiis & Comœdiis adhibentur inſtrumenta, omnes laudant, nemo imitatur.* Hanc tamen conſtituit differentiam *Eugraphius* in Andr. *Terent.* quod Lydiæ Tibiæ Comœdiis adhibitæ, Ioniæ Tragœdiis. *Nannius* Miſcellan. lib. 5. cap. 6. tres olim partes Comœdiæ facit, *Canticum*, quod duabus Tibiis, una perſona & ad ſummum altera conſtabat; *Chorum*, qui incerto numero perſonarum, ſed omnium vocibus in unum ſonum confuſis utebatur, *Diverbium*, quod colloquio trium aut ad ſummum quatuor perſonarum conſertum erat. Chori inducti ſunt poſt ſingulos actus, ac tum adhibitum eſſe Tibiarum cantum dubitari non poteſt. Non ſolum autèm moduli variati ſunt, cum comœdia in ſcenam reduceretur, ſed aliquando per ſingulas ſcenas pro ejus loci conditione Tibiæ mutatæ ſunt. Illi modi Tibiarum ad

fabulæ ingenium temperabantur, uſque adeo ut auditis Tibiis populus ſciret quæ fabula danda eſſet. Ita apud *Ciceronem* Academ. Quæſt. 6. *Qui primo inflatu Tibicinis Antiopam eſſe ajunt.* Poſtea choro ſublato explebat officium Tibicen, qui in fine cujuſque actus dari ſolitus eſt. Id quod ſatis conſtat ex Pſeudolo *Plauti*:

Concedere aliquantiſper hinc me intro libet,
Tibicen hic interea vos oblectaverit.

Ubi ſic tacentibus omnibus intus concinebat Tibicen, Diaulion dicebatur, quod annotatum à *Rhodigino* Lect. Antiq. lib. 9. c. 7.

Moris etiam erat ut in viis Tibicen perſonis choricis præiret, quod ex veteri Scholiaſte animadvertit *Bulengerus*, & quemadmodum inducebatur chorus à tibicine, ita & revocabatur & emittebatur, unde modi Tibicinum, quibus receptui canitur, dicuntur ἐξόδιοι νόμοι *Heſychio*, δι' ὧν πάντες ἐξελαύνονται, de quibus *Ariſtophanes* in Veſpis.

Uſum

fabulæ ingenium temperabantur,uſ
adeo ut auditis Tibiis populus ſci
quæ fabula danda eſſet. Ita apud C
ronem Academ. Quæſt. 6. *Qui pri*
inflatu Tibicinis Antiopam eſſe aj
Poſtea choro ſublato explebat offici
Tibicen, qui in fine cujuſque actus
ri ſolitus eſt. Id quod ſatis conſtat
Pſeudolo *Plauti:*

Concedere aliquantiſper hinc me i
libet,
Tibicen hic interea vos oblectaverit

Ubi ſic tacentibus omnibus intus c
cinebat Tibicen, Diaulion dicebat
quod annotatum à *Rhodigino* L
Antiq. lib. 9. c. 7.

Moris etiam erat ut in viis Ti
perſonis choricis præiret, quod ex
teri Scholiaſte animadvertit *Buleng*
& quemadmodum inducebatur ch
à tibicine, ita & revocabatur & em
batur, unde modi Tibicinum, qu
receptui canitur, dicuntur ἐξόδιοι
Heſychio, δι' ὧν πάντες ἐξελαύνονται
quibus *Ariſtophanes* in Veſpis.

U


pag. 221.

Uſum hunc Tibiarum illuſtrat anti-uum & elegans Comœdiæ ſchema, uod ex *Fulvii Vrſini* libro manu exa-ato, qui in Bibliotheca Vaticana aſſer-atur, mecum communicavit Illuſtriſſi-nus Eques *Car. Antonius à Puteo*, qua-e hic exhibeo.

CAPUT XI.

Tibia *in Saltatione Pantomimi, Ludii, aliorumque.*

PAntomimis, joculatoribus & ſaltatoribus Tibiis præcinere olim moris ſuit. Primis autem temporibus hi-triones hi atque mimi, & cantabant ipſi & ſaltabant, poſtea taciti ſaltabant & ad Tibias ab aliis inflatas geſtus moderabantur. Pylades Cilix Pantomimus, ex *Hieronymo* in Chronico, quum Ve-eres ipſi canerent & ſaltarent, primus Romæ chorum ſibi & fiſtulas præcine-e fecit, animadvertente Cl. *Salmaſio*. Ideoque, quia ferebatur mutaſſe rudis



Uſum hunc Tibiarum illuſtrat antiquum & elegans Comœdiæ ſchema, quod ex *Fulvii Vrſini* libro manu exarato, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervatur, mecum communicavit Illuſtriſſimus Eques *Car. Antonius à Puteo*, quale hic exhibeo.

CAPUT XI.

Tibia *in Saltatione Pantomimi, Ludii, aliorumque.*

PAntomimis, joculatoribus & ſaltatoribus Tibiis præcinere olim moris fuit. Primis autem temporibus hiſtriones hi atque mimi, & cantabant ipſi & ſaltabant, poſtea taciti ſaltabant & ad Tibias ab aliis inflatas geſtus moderabantur. Pylades Cilix Pantomimus, ex *Hieronymo* in Chronico, quum Veteres ipſi canerent & ſaltarent, primus Romæ chorum ſibi & fiſtulas præcinere fecit, animadvertente Cl. *Salmaſio*. Ideoque, quia ferebatur mutaſſe rudis

illius ſaltationis ritum, qui apud majores viguit & venuſtam induxiſſe novitatem, ut *Macrob.* lib. 2. Saturn cap. 7. interrogatus ab Auguſto quid ſaltationi contuliſſet, reſpondit:

Αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Ita etiam de Livio Poëta *Valerius Maximus* lib. 2. cap. 4. *Iſque ſui operis actor, cum ſæpius à populo revocatus vocem obtudiſſet, adhibito pueri & Tibicinis concentu geſticulationem tacitus peregit.* Apud *Ciceronem* de Orat. lib. 1. Roſcius Comœdus, hiſtrio & Saltator dicere ſolebat, ſe quò plus ſibi ætatis accederet, eò tardiores Tibicinis modos & cantus remiſſiores eſſe facturum. Cui addit *Tullius*: *Quod ſi ille aſtrictus certa quadam numerorum moderatione ac pedum, tamen aliquid ad requiem ſenectutis excogitat: quanto facilius nos non laxare modos, ſed totos mutare poſſumus.* Sic *Ammian. Marcellinus* lib. 34. *Tibiæque, & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non levia.*

Non

Non ſolum autem ſaltantibus Pantomimis canebant, ſed etiam ad incentivum pede pulpitum percutiebant, & quo clarior ſonus eſſet & ab omnibus melius intelligeretur, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, ad hunc uſum factas, interdum etiam ferreas, quo majorem ſtrepitum crepitumque ederent, ut *Lucianus* deſcribit Pantomimum, qui in Ajace Furente prodierat. Hujuſmodi lignea ſandalia Græci κρουπέζια, Latini videntur appellaſſe ſcabella, de quibus nos lib. 3. prolixè. Huc reſpexit ſine dubio *Arnobius*, qui de Pantomimis aliiſque hujus fori locutus lib. 2. adverſus Gentes ſolita ſua elegantia quærit, *anne Rex mundi, Deus, animas huc miſerit, ut res, nempe animæ humanæ, ſancti & auguſtiſſimi nominis ſymphoniacas hic agerent & fiſtulatorias artes, ut inflandis bucculas diſtenderent Tibiis, cantionibus ut præirent obſcœnis, numeroſos iterarent ſcabillorum crepitationibus ſonores, quibus animarum alia laſciviens multitudo in-*

compoſitos corporum diſſolveretur in motus, ſaltitaret, & cantaret & ad ultimum clunibus & coxendicibus ſublevatis lumborum criſpitudine fluctuaret.

Interdum Tibicines ipſi inter canendum geſticulati ſunt, ut more pantomimorum res quaſque imitarentur, quod ex *Ariſtotele* patet Probl. 9. cap. 48. & ex *Xenophonte* in Sympoſio de Tibicina.

In conviviis Saltatrices mulierculæ pro convivis delectandis ad Tibiam ſaltabant, quemadmodum cuivis *Xenophontis* Sympoſium pervolventi abundè conſtat.

Fuere etiam Ludii, à Lydis profecti & appellati, ut vult *Herodotus* lib. 1. qui in numerum ad Tibicinis modos ſaltarunt. Id quod optimè illuſtrat *Livius* lib 8. de Ludorum ſcenicorum inſtitutione agens, quorum initio parva, ut ferme omnia, principia refert. *Quippe*, ex ipſius confeſſione, *ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, Ludiones ex Etruria acciti*

citi ad Tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motus, more Tuſco, dabant. Imitari deinde eos juventus, ſimul inconditis inter ſe jocularia fundentes verſibus, cœpere; Nec abſoni à voce motus erant. Accepta itaque res ſæpiuſque uſitando excitata, vernaculis artificibus, quia hiſter Tuſco verbo Ludio vocabatur; qui non ſicut ante, Feſcennino verſu ſimilem incompoſitum temerè ac rudem alternis jaciebant, ſed impletas modis ſatyras, deſcripto jam ad Tibicinem cantu motuque congruenti, peragebant. De rudi horum ſaltatione primis temporibus, ad Tibiæ cantum *Ovidius* lib. 1 Art. Amand. deſcribens raptum virginum Sabinarum & ſpectaculum quod Romulus paraverat:

Nunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Et mox:


Dumque rudem præbente modum tibicine Tuſco

Ludius æquatam ter pede pulſat humum.

Planipedes etiam, qui dicti quod in plano agerent & pedibus nudis, ſaltus ſuos ad decantatos Tibiarum modos accommodarunt, quemadmodum facile credo *Gellio* aſſerenti lib. 1. cap. 11. *Quod enim foret iſta re ineptius, ſi ut Planipedi ſaltanti, ita Graccho concionanti, numeros & modos & frequentamenta quædam varia tibicen incineret.*

His affines erant *Fabulones*, qui obſcœna dixerunt atque impudica verba, ut *Macrob.* lib. 2. Sat. cap. 1. *Vicem Planipedis & Fabulonis impudica & prætexta verba jacientis.* Quod etiam ad Tibiam factum eſt, quemadmodum apud *Xenophontem* in Sympoſio Nicoſtratus hiſtrio τετράμετρα πρὸς τὸν αὐλὸν κατέλεγεν, *ad Tibiam tetrametra recitabat.*

Non poſſum hîc non mentionem facere lepidæ illius lucernæ quam adducit *Licetus* lib. 6. de lucern. ant. rec. c. 85. his verbis: *Gerit ea in area ſuperiori nudum homunculum, gibbum*, inflantem geminas tibias, *elato crure dextro*,


LCAECSAE

dextro, medias inter coxas turpiter exerentem obſcœnum granditate faſcinum cum coleis. In fundo deſcriptum legitur intra circularem lineam L C A E C S A E, *quod ego legerem interpunctum* L. C A E C S A E: *quam non ineptè quiſpiam meretricem opinetur, ex inverecundi* ludionis *imagine, ſculpta in ſua ſepulchrali lucerna. Cæterum nec eruditione caret illa Tibicinis imago gibba cum extento mutino: ſiquidem ex arte tibias inflantes, nimium contento ſpiritu, genitalia vehementer implentur, ut quandoque diſrumpantur; eadem anhelitus contentione ſimul & inclinatione ad tibias inflandas, quodammodo gibbi fiunt. Sed ad ſanitatem, ne diſrupto peritoneo deſcendat omentum cum inteſtinis in ſcrotum, apte faſcia ſibi ligant imum ventrem arcte tibicines; quo vinculo carens iſte tibiam biforem inflans in lucerna delineatus* (quam & hic damus) *non abs re fingitur & gibbus, & inflato veretro coleiſque tumidis.* Et paulò poſt: *Morio gibbus iſte efformatus eſt nudus, ut deformitas ipſius conſpectior eſſet; miraque fabrilis ingenii libidine confictus. Cujus generis plura divitibus in pretio frequenti numero vendebantur antiquitus; unde illud*

Stultitiam patiuntur opes.

CA-

CAPUT XII.

Tibia *in Nuptiis & Choreis.*

PRæter alia inſtrumenta muſica, Tibia olim maximè nuptiale erat. Adeo ut omnis ſanctimonia nuptiarum uno ſigno Tibiarum intelligeretur, ut ait Auctor ad Herren. lib. 4. Integram nuptiarum ſolemnitatem ſuo ordine deſcribit *Heliodorus* Æthiop. lib. 10, cum Tibiarum & fiſtularum concentu, & vix ullum apud veteres de nuptiis ſermonem inſtitutum reperies, quin Tibias adjunctas deprehendas. *Claudianus* de Nupt. Honor. & Mar. v. 195.

Tibia pro lituis & pro clangore tubarum
Molle lyræ fauſtumque canant.

Et mox:

Tu feſtas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores.
Elige ......

Idem

Idem in Feſcennin. verſ. 128.

Ducant pervigiles carmina Tibiæ,
Permiſſiſque jocis turba licentior
Exſultet tetricis libera legibus.

Paulo poſt :

Hæc vox per populos, per mare trans-
eat,
Formoſus Mariam ducit Honorius.

Inter Nuptiarum apparatum *Tibiarum clangor* apud *Achil. Tatium* de Clitoph. & Leucip. Amor. lib. 1. atque eaſdem ad nuptias celebrandas laudat *Euripides* in Hercule. Unde *in thalamis Nicippidis dulce reſonabat Tibia*, quemadmodum in Veter. Epigramm. lib. 3. cap. 12. Epigr. 6. Et ſane nihil hoc Tibiarum uſu frequentius occurrit. Ita *Nonnus* Dionyſiac. lib. 7.

Οἶδα μὲν ὡς ἐρόεις πέλεται γάμος, ἧχι λι-
γαίνει
Πανιάδος σύνεχής ὁμόθροος αὐλὸς Ἀθήνης,

Scio quidem quod amabiles ſint nu-
ptiæ, ubi ſtridet
Panicæ fiſtulæ conſonans Tibia Mi-
nervæ.

Facta

Facta hæc Tibiarum incentio in nuptiis ad ſummam feſti diei lætitiam repræſentandam, & ingens illud gaudium manifeſtandum, quo ſenſu *Ovidius* Metamorph. lib. 4.

— Tædas Hymenæus Amorque
Præcutiunt: largis ſatiantur odoribus ignes:
Sertaque dependunt tectis, lotique, lyræque,
Tibiaque, & cantus, animi felicia læti
Argumenta ſonant .....

An ſine Muſica Nuptiarum ſolennia ritè celebrentur vide differentem venerandum *Parentem* meum Quæſt. Nupt. 3. De nuptiis Mercurii & Philologiæ *Martianus Capella* lib. 2. *Ecce autem,* inquit, *ante fores quidam dulcis ſonus multifidis ſuavitatibus ſuſcitatur, quem Muſarum convenientium chorus impendens nuptialibus ſacramentis modulationis doctæ tinnitibus concinebat, nam nec Tibiarum mela, nec ex fidibus ſonus, nec hydraularum harmonica deerat plenitudo.*




2
5
4
11
10
9
7
8
6
1
3
1



mul cum illuſtri planè ipſius Marmoris figura hic afferam:

1. Sponſus ac Sponſa invicem dexteras jungunt. Hæc palla ſeu flammeo velata, ille capite detecto. 2. Juno Pronuba utrumque amplexa conjugio jungit ſtabili. 3. Hymenæus adeſt, ſeu Capuer genialem præferens facem. 4. Camillus ad aram cum acerra, & 5. Tibicen molle feſtumque canens. 6. Vir velato capite ſacrificans è caniſtro promit flores & poma quæ in Nuptiis ſpargebantur. Inde 7. Mulier Turturem præfert maritalis fidei auſpicium. 8. Ad pedes ovis. Sequitur 9. Mulier cum ſerto quo poſtes ornabantur. 10. Nuntius laureatus manu tenet volumen Nuptialis carminis. 11. Ultima eſt Concordia cum Copiæ Cornu, ſeu Cybeles Mater cujus vim Generationi ineſſe credebant. In eodem Antiquitat. Volumine exhibetur Epithalamium, ubi ſedent hinc ſponſus, inde ſponſa, & ad utrumque ex choro converſæ virgines laudes canunt, fauſtum felixque omi-

ominantur. Adſunt *Tibicina* & Lyriſtes & alia, quæ Poëtria carmina deſcribit, & modulata cedro notat, ut ſuſpicatur *Bellorius.*

Simul itaque ac Nuptiarum ſolennia indicta ſunt, Tibicines quærebantur, ſine quibus hæc feſta vix unquam peragebantur. *Plautus* Aul. Act. 2. Sc. 6.

— *STA. Quid vis? STR. Hos ut accipias cocos,*
Tibicinamque obſoniumque in nuptias.

Patet hoc etiam ex *Solino* qui cap. 9. ubi Amyntæ filium Philippum captum eſſe oculo dextro apud Mothonam dixit, hujus debilitatis omen præceſſiſſe refert: *nam cum nuptias ageret, acciti Tibicines carmen Cyclopium quaſi de conludio concinuiße dicuntur.* Nuptialibus enim gaudiis Tibiæ interponebantur, ut ad illas Hymenæi canerentur in Nuptiis, quemadmodum hymni in Divina veneratione, & threni atque lamenta in funeribus, teſte *Iſidoro* Orig. lib. 2. cap 15. De carmine hoc nuptiali

Non-

Nonnus Dionyſ. lib. 7. Et aptè hoc ad Tibiam cantatum indicat *Terentius:*

— Verum hoc mihi moræ eſt,
Tibicina & hymenæum qui cantent.

Et paulo poſt:

— Miſſa hæc face
Hymenæum, turbas, lampadas, Tibicinas.

Carmina hæc ſocialia nuncupat, & per Tibiam effundi dicit *Ovidius* Ep. Med.

At ſubito noſtras ut hymen cantatus ad aures
Venit, & accenſo lampades igne micant.
Tibiaque effundit ſocialia carmina vobis,
At mihi funeſta flebiliora tuba.

Cur ἑσπέριοι λωτοὶ, *veſpertini loti*, hæ Tibiæ dictæ ſint *Suidæ*, edocebimur à *Scaligero*, qui in *Propertii* locum lib. 2. El. 6.

Aut mea quum tales caneret tibi Cynthia ſomnos
Tibia, funeſta triſtior illa tuba.

Tibiam intelligi nuptialem arbitratur,

qua

qua novam nuptam mariti domum deducebant, cum jam concubia nox eſſet. Huc forſan trahi poſſet *Plautus* Caſina Act. 4. Sc. 4.

Age Tibicen, dum illam educunt huc
novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra hanc plateam
hymenæo.

Cæterum locum illum *Propertii* non de Tibia nuptiali exponit *Paſſeratius*, ſed de Tibia amatorum, qua ſub noctem tranſeuntes ante amicarum domos, ſuas miſerias deflebant. Quod carmen à fletu ad januam, παρακλαυσίθυρον vocat *Plutarchus*, qui de animantium moribus variis diſſerens, hunc etiam innuit de carmine flebili ad januam adamatæ mulieris & de Tibicina canente per vicum tranſeunte. Nec aliud voluit *Horatius* lib. 3. Od. 7. ad Aſterien:

Prima nocte domum claude: neque in
vias
Sub cantum querulæ deſpice Tibiæ:
Et te ſæpe vocanti
Duram difficilis mane.

Ideo-

Ideoque minus circumſpectè *Dempſterus* in Roſin. lib. 3. cap. 31. illud putat à *Palmerio* ſolo annotatum eſſe, amantes ante dominarum ſuarum fores noctu Tibiis canere conſueviſſe. De hac amatoria cantilena *Ovidius* Faſt. lib. 5.

Primus amans carmen vigilatum nocte negata
Dicitur ad clauſas concinuiſſe fores.

Et ibidem:

Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat......

Hunc communem Adoleſcentum & Amatorum morem accedendi ad meretrices vel amicas ſuas media nocte cum Tibiis, declarat *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 13. cap. 1. de Adoleſcentulis duobus qui audaces amatores & inſigniter laſcivientes, media nocte ad Athalantam meretricem advenerant: *Utebantur autem in ſuo amatorio diſcurſu non Tibi inibus, neque iis, quibus adoleſcentes in civitate uti conſueverant, ſed tædis,*

dis, quibus incenſis & flagrantibus ad primum ignis conſpectum univerſus populus, nedum una puella exhorruiſſet. Verùm nos ad Tibiam nuptialem revertamur, ad quam, choreis etiam deſtinatam, in nuptiis ſaltabant, ut ex *Euripide* patet in Aulide.

Quomodo in feſtivitate nuptiali ſingula ad Tibiam acta, ad quam alii commeſſabantur, alii ridentes & ludentes ſaltabant, vide pluribus explicantem *Heſiodum* in Scuto Herculis v. 272. & ſeqq. Tibiarum hunc uſum priſcis Græcis vernaculum indicat *Homerus*, cum alibi ſæpè, tum in cœlatura clypei, Achilli à Vulcano donati. Fingens enim in eo duas civitates, alteram pace florentem, alteram bello vexatam, feliciorem illam deſcribit feſtos dies agentem, vacantemque nuptiis & hilaritatibus, de quibus carmen Interpretis ſic habet:

In gyrum ſaltat pubes, quos flatilis inter
Tibia cum cithara modulamina dulcia fundunt.

Stant

Stant in veſtibulis nuptæ ſpectantque choreas.

Cæterum non ad ſolas choreas nuptiales reſtringebatur Tibia, ad alias etiam tranſiit quacunque occaſione natas. Ut ille apud *Ariſtophanem* in Veſpis, ubi Tibiam audiverat, ſaltare tota nocte non deſiit. Ita *Juvenalis* Sat. 15.

— Inde virorum
Saltatus nigro Tibicine.

Ut adeo non inconvenienter de Tibicinibus *Phædrus* lib. 5.

— Lepidum genus
Deſiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.

Et *Plautus* Stich. Act. 4. Sc. 7.

Siquidem mihi ſaltandum eſt tum vos date, bibat, Tibicini.

Quoniam choreas in conviviis receptas excitavit Tibia, quod ſatis notum ex *Xenophonte* in Sympoſio. Manifeſtè rem declarat *Propertius* lib. 3. El. 10.

Sit menſæ ratio, noxque inter pocula currat

Et

Et crocino nares myrrheus ungat Onyx.
Tibia nocturnis ſuccumbat rauca choreis,
Et ſint nequitiæ libera verba tuæ:
Dulciaque ingratos adimant convivia ſomnos,
Publica vicinæ perſtrepat aura viæ.

Ejuſdem conſuetudinis non obſcura prodit veſtigia *Heliodorus* Æthiop.lib.5. *Audis enim ut mulieres moræ cauſa & remiſſionis à potatione, choream inſtituerint. Nobis verò tuus error egregiè ſi volueris convivium traduxerit, ſuavior omni chorea & Tibia futurus.* Idem lib. 3. narrans illa quæ in convivio fuerunt, choreas virginum, Tibicinas, armatam & pyrrhichiam ſaltationem Epheborum, & alia cum quibus lautos & opiparos cibos Theogenes temperaverat, familiare & magis aptum compotationi convivium efficiens. In quacunque enim compotatione Tibicina etiam præcinuit modos, qui ſaltationis vigo-

vigorem excitarent. Sic *Horatius* lib. 1. Epiſt. 14. ad Villicum ſuum:

Nec vicina ſubeſt, vinum præbere, taberna,
Quæ poſſit tibi: nec meretrix Tibicina, cujus
Ad ſtrepitum ſalias terræ gravis.

παρῴνιοι hæ Tibiæ appellantur *Polluci*, quæ parvæ erant utræque, & æquales, compotationibus enim convenit æqualitas. Inter potandum Luſitani ad Tibiam ſaltarunt, referente *Strabone* lib. 3. Et Thraces ad Tibiam armatos ſaltare memorat *Xenophon* in convivio Seuthæ. Omnia quæ in hac armata ſaltatione obſervabantur ordine recenſet *Athenæus* lib. 1. & quomodo in illa corporis motùm Tibiæ modis adaptabant, vide *Maximum Tyrium* Diſſert. 12. Dores, qui Siciliam incolebant, ad Ionicas Tibias ſaltare, idem teſtatur Diſſert. 21. Et Cares non minus in choreis quam funere Tibiam adhibuiſſe liquet ex *Ariſtophane* in Ranis Act. 5. ſc. 2.

Καρικῶν, αὐλημάτων Θρήνων, χορείων,

Caricæ Tibiæ modos in funere, & choreis.

Erat etiam γίγγρας ad Tibiam ſaltatio idem cum Tibiæ modulatione nomen habens, ex *Polluce* lib. 4.

CAPUT XIII.

Tibia *in Conviviis*.

VEterum Romanorum epulis fides ac Tibias adhibere mos erat, ſi credimus *Quintiliano* Inſtit. Orat. lib. 1. cap. 14. Ideoque epularum ſolennium fides ac Tibiæ majoribus uſitatæ, decantantur *Ciceroni* L. III. de Oratore. Viguit autem ille mos frequens, cujus indicia plurimi ſuppeditant autores. *Plautus* Moſtellar. Act. 4. ſc. 2.

Hic quidem neque convivarum ſonitus, itidem ut antehac fuit,
Neque Tibicinam cantantem, neque alium quemquam audio.


Tibias cum Citharis conviviis deſtinat *Coint.*

Coint. Smyrnæus Derelictor. lib. 5. De convivialibus his Tibiis evolve *Athenæum* lib. 15. *Plauti* Stichum, *Theophraſti* Caracteres morum, alioſque. Conſule quoque *Ælianum* Var. hiſt. lib. 7. cap. 2. & *Paſchalium* de Coron. qui lib. 2. cap. 2. tibicines coronatos in convivium induci ſolitos perhibet. *Petronius* inter Trimalcionis delicias, neque has præteriiſſe videtur, ſi nonnullis interpretum ejus fides ſit: *Circumferebat*, inquit, *Ægyptius puer clibano argenteo panem, atque ipſe etiam teterrima voce de Laſerpiciario mimo canticum extorquet. Nos ut triſtiores ad tam viles acceſſimus cibos, ſuadeo, inquit, Trimalcio, cœnemus, hoc eſt jus cœnæ.* Quidam Commentatorum *teterrima* in *tenerrima* mutarunt & pro *minio* etiam *mimo* ſubſtituêre: Cui amplius *Gonzales* ex *mimo*, *mimico* fecit, nimirum ut de Tibia è Laſerpitii caule perforato confecta, quam puer inflaret, locum interpretaretur. Ita *Lotichius* & *Gonzales*,

les, repugnante *Petro Laſena*, qui in Cleombroto ab his diverſus eſt. Quippe ſi Ægyptiacus puer circumferebat argenteum clibanum, quo pacto Tibiam Laſerpitiariam inflare potis erat? ut adeo canticum, quod hic extorquebat, non Tibiæ ſonus, ſed vocalis muſica eſſet, id quod & ex præcedentibus, de hiſce pueris, verbis demonſtrat. Non igitur aliquid mutandum putat ex veteri lectione, *de laſerpitio & minio*, vel ſi quid mutandum ſit, pro *laſerpitiario*, quod nihil eſt, recipit & legit, *de laſerpitiato minio*, ut ſit ſenſus, *de argutulo ac fucato labio canticum extorquet.* Cæterum utut ſit, conviviis Tibiarum cantum interponebant, ut animos exhilararent, & ad voluptatem atque lætitiam vino debitam accenderent. *Xenophon* in Sympoſio: Ἐπεὶ δὲ αὐτοῖς ἡ αὐλητρὶς μὲν ηὔλησε, ὁ δὲ παῖς ἐκιθάρισε καὶ ἐδόκουν μάλα ἀμφότεροι ἱκανῶς εὐφραίνειν, *Poſteaquam Tibicina, & puer cecinissent, illa Tibia, hic cithara, viderenturque ſatis homines exhila-*

hilaraſſe. Scytharum Rex Iſmeniam tibicinem bello captum canere juſſit inter pocula. Omnibus autem admirantibus & præ voluptate plaudentibus, jurejurando affirmavit, ſuavius ſe interdum equum hinnientem audiviſſe, ex *Plutarc.* de fortun. Alexandr. *Suidæ* κῶμος eſt Tibia, inter ebrios vino diutius durante irritans libidinem & inhoneſtum faciens convivium.

Moris hujus cum Tibia epulandi veſtigia etiam ſuggerunt Vetera marmora, quale eſt perantiquus ille lapis apud *Caſalium* in Splendor. Urb. Rom. c. 18. pag. 320. etiam ex vinea quondam Card. de Montealto adducit *Schach.* Myroth. 1. c. 33. pag. 308. Et ejus icon etiam videri poteſt apud *Octav. Ferrarium* de Re Veſtiar. par. 1. pag. 92. quem ex *Urſino* ad *Ciaconii* Triclinium ſubjicit, in quo antiquus Tibiarum in conviviis uſus videtur eluceſcere. Paginâ ſequenti eandem nos quoque damus.


In Viridario Cardinalis
Montalti

Notandum eſt ad convivia olim Tibicines in foro conductos ubi obſonia emebantur. Quod non obſcurè ex *Theophraſto* elicio, qui in Notation. Morum: *Cumque ſibi obſonia emerit, & Tibicinas* (ἀυλητρίδας) *conduxerit, ut cuique obvius fuerit factus, obſonia illi oſtendere & ad ea invitare.* Conducti autem illi ſive Tibicines, ſive Tibicinæ, in foro unà cum coquis, cujus rei teſtimonium ex *Plauto* dabo, Aulular. Act. 2. Sc. 4.

Poſtquam obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinaſque haſce ad forum, edixit mihi.
Ut diſpartirem obſonium hic bifariam.


Ideoque nonnulli ad Tibiam coquebant, quod de Tyrrhenis *Pollux* lib. 4. cap. 7. ἐπ᾽ ἀυλῷ ὀψοποιοῦσι. Et Tibicines ad focos memorantur apud *Ariſtophanem* in Acharnens. Act. 3. Sc. 3.

Nec aliam ob cauſam à *Plauto* plerumque coqui & Tibicinæ conjunguntur. Ut Aulular. Act. 3. Sc. 3.

Ite ſane nunc jam intro omnes, & coqui, & Tibicinæ.
Etiam huc introduce, ſi vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, feſtinate nunc jam quantum libet.

Quippe obſervabis, coquos olim epulas quoque ad Tibiæ ſonum apparaſſe, quod à *Stuckio* relatum Antiq. Conv. lib. 3. cap. 20. Unde Eubulus apud *Athenæum* lib. 9. ait moris fuiſſe, ut ſi quid peccaſſet coquus, Tibicen vapularet. Ita etiam precioſiores dapes menſis inferentes, ſolenni quadam pompa Tibicinibus utebantur, quod annotatum à *Pancirollo* de Deperd. Tit. 51. & evidenter confirmat elegans antiqui lapidis ſchema apud *Octav. Ferrarium* de Re Veſtiar. par. 1. p. 186. quod ex *Urſini* Apendice in *Ciaconii* Triclinium exhibet, quale expreſſum vidimus Romæ in Voluminibus Illuſtriſſimi Equitis *Caroli Antonii à Puteo*, & è regione conſpiciendum exhibemus.

Ubi



Ubi expreſſè in conviviis fercula præcedente Tibicine à miniſtris inferri videntur. Nec deſunt ex veteribus Autores, apud quos nonnullos cibos præeunte & canente Tibicine inferri ac menſis imponi ſolitos fuiſſe legimus. Sic de Accipenſere apud Romanos *Macrobius*, ut cum inter alios cibos lautos, & preciosos ille piſcis apponendus eſſet, non niſi à coronatis miniſtris, cum Tibicinis cantu inferretur. Ita autem *Macrobius* Saturn. lib. 3. cap. 16. de Accipenſere: *Apud Antiquos in pretio fuiſſe, ego teſtimoniis palam faciam: vel eo magis quod gratiam ejus video ad epulas quaſi poſtliminio rediiſſe. Quippe dignatione veſtra cum interſum convivio ſacro, animadverto hunc piſcem à coronatis miniſtris cum Tibicine inferri.* Factumque id Severo Imperatore cœnante, ad quod auctoritatem ejuſdem *Macrobii* repetam, qui paulò poſt ſubjungit: *Hæc Sammonicus, qui turpitudinem convivii Principis ſui* (Severi) *laudando notat: prodens venerationem, qua piſcis ha-*

habebatur, ut à coronatis miniſtris inferretur cum Tibicinis cantu, quaſi quadam non deliciarum ſed numinis pompa.

Non prætereundum eſt Tibiam olim & in principio & in medio & in fine convivii eſſe adhibitam. Convivii ſignum illa dari ſolitum *Virgilius* videtur indicare Æneid. 11.

At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,
Aut ubi curva choros indixit Tibia Bacchi,
Expectare dapes & plenæ pocula menſæ,
Hic amor, hoc ſtudium.

Et *Ariſtophanes* in Veſpis.

Ἀυλητρὶς ἐνεφύσησεν. οἱ δὲ συμπόται
Ἐισὶν ———

Tibicina inflat, ecce convivæ tibi
Adſunt ......

Nec aliud idem innuit in Ranis Act. 2. Sc. 2.

Tuba militibus ſignum in conviviis datum eſt quando accumberent & ſurgerent, ſecundum *Ælianum* Var. hiſt.

lib. 8. de conviviis, quæ Alexander militibus poſt victum Darium exhibuit.

In fine convivii Tibicinæ atque ſaltatrici, & reliquis ſpectaculis non parum temporis datum eſſe concludo ex *Xenophonte*, in cujus Sympoſio, menſis ablatis ac libationibus Pæaneque abſolutis, *Syracuſanus quidam ad commeſſationem accedit, qui ſecum & Tibicinam egregiam & ſaltatricem ex earum numero habebat, quæ mira quædam efficiunt, itemque formoſum admodum puerum bellè canentem cithara & ſaltantem. Atque hæc ille miraculi loco exhibendo, pecuniam accipiebat.* Iſti pueri qui in cœna ſic cantabant, ſymphoniaci appellati. *Macrobius* lib. 2. Saturn. cap. 4. *Delectatus inter cœnam erat pueris Symphoniacis.*

Nonnulli Tibiam in conviviis admittere noluere, quemadmodum *Athenæus* lib. 15. de Platone, apud quem Socrates in Protagora abjectorum hoc eſſe dicit hominum, imperitorum atque circumforaneorum. Hi enim cum eam

eam vim atque facultatem non habeant, ut urbana aliqua & eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere, & mutuis ſermonibus animos ſuos hilarare poſſint: ejus rei remedium à mimis, & ab hiſtrionibus & à vocum fidiumque cantibus petunt, magnis ſumptibus conductis. At quas ad epulas boni atque eruditi convivæ convenerint, in eis neque Tibicinam neque pſaltriam audiri, neque ſaltatricem ſpectari ullam: eos verò ablegatis ejuſmodi nugis atque ineptiis modeſtè inter ſe & hilariter colloqui, neque unquam deeſſe ipſis, de quo ſermones jucundiſſimos conferant, etiamſi multam in noctem convivium producatur. Itaque ex nobili illo apud Agathonem convivio ejici Tibicinam, & aut ſibi aut mulieribus juberi canere. Vide *Muretum* Var. Lect. lib. 6. cap. 15. & *Dionyſ. Lambinum* in Corn. Nepot. in Epaminond. *Plutarchus* verò, qui Sympoſ. lib. 6. Problem. 6. Philoſophos, Tibicinas, & comœdias in conviviis adhibuiſſe

hibuiſſe refert, contra Platonis teſtimonium ſuperius allatum, Xenophontis auctoritatem adducit lib. 7. Probl. 7. & Homericanarum epularum exemplum, nec non alias rationes, quibus probat hujuſmodi elegantiam, & oblectationem minimè eſſe convivio exturbandam. *Xenophon* enim qui Platonis æmulus fuit, in id convivium, in quo & Socrates eſſet, & Antiſthenes & alii doctrina ſapientiaque præſtantes viri, non modo Philippum excitandi riſus artificem induxit, verum etiam ſublatis epulis Syracuſanum illum commeſſatorem cum Tibicina, & ſaltatrice, & formoſo puero, qui & ipſe cùm ſaltando, tùm fidibus canendo, ſumma eos, qui aderant, voluptate perfunderet. Notandumque pro *Plutarcho* contra Platonem, non à ſolis imperitis & circumforaneis Tibicines adhibitos, cum idem *Xenophon* lib. 7. Exped. Cyri, Tibiam memoret in eo convivio, in quo & Seuthes & præſtantiſſima dignitate Thraces, &
multi

multi Græcorum Duces & Præfecti cum Legatis aderant. Præterea concludit *Plutarchus* Symp. 7. Probl. 8. nulla ratione licere, etiamſi quis vellet, Tibiam à menſa arcere: nam libationes eam flagitare unà cum corona, & ubi pæani accinens divinum cultum abſolvit, ſuavi cantu per aures transire, eaſque jucunda voce perfundere, quæ res tranquillitatem animi efficit, ita ut ſi quid triſtitiæ & curarum mero non ſit diſcuſſum, id cantilenæ concinnitate ſuavitateque ſopiatur. Caveri verò debere, ne Tibia modum excedat, nimioſque animo motus adferat, illumque ſonorum modulorumque multitudine mollitum, in transverſum rapiat.

CAPUT XIV.

Ad Tibiam *factæ Conciones ad populum, carmina recitata, atque Heroum laudes in conviviis & funeribus decantatæ.*

DE Cajo Graccho memoratur, quod, cum impetu orationis ſæpe raperetur extra ſe, & voce uteretur aſperiori, uſus ſit famulo quodam qui Phonaſcico inſtrumento, ita Tibiam illam vocabant, vocem ejus moderaretur. Itaque quoties apud populum concionatus eſt, ſervum poſt ſe muſicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fiſtula pronunciationis ejus modos formabat; aut nimis remiſſos excitando, aut plus juſto concitatos revocando: Quia ipſum calor & impetus orationis attentum hujuſce temperamenti æſti-

æſtimatorem eſſe non patiebatur, ut de ipſo memorat *Valer. Maximus* lib. 8. cap. 10. Cæterum ſi audiamus *Gellium* lib. 1. cap. 11. nequaquam ſic eſt ut à vulgo dicitur, canere Tibia ſolitum, qui pone eum loquentem ſtaret, variiſque modis tum demulcere animum actionemque ejus, tum intendere; *Quid enim*, ait, *foret iſta re ineptius: ſi ut Planipedi ſaltanti, ita Graccho concionanti numeros & modos, & frequentamenta quædam varia tibicen incineret.* Sed qui hoc compertius memoriæ tradiderunt, ita referente *Gellio*, ſtetiſſe in circumſtantibus dicunt occultiùs, qui fiſtula brevi ſenſim graviuſculum ſonum inſpiraret ad deprimendum ſedandumque impetum vocis ejus. Referveſcente namque impulſu, & inſtinctu extraneo, naturalem illam Gracchi vehementiam non indiguiſſe opinatur, contra autoritatem *Ciceronis*, qui fiſtulatorem iſtum utrique rei adhibitum eſſe à Graccho putat, ut ſonis, tum placidis, tum citatis,

tatis, aut demiſſam jacentemque orationem ejus erigeret: aut ferocientem ſævientemque cohiberet. Ita enim Cicero de Orator. lib. 3. *Idem Gracchus, quod potes audire, Catule, ex Licinio cliente tuo, literato homine, quem ſervum ſibi ille habuit ad manum, cum eburneola ſolitus eſt habere fiſtula, qui ſtaret poſt ipſum occultè cum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum ſonum, quo illum aut remiſſum excitaret, aut à contentione revocaret. Nimirum, quoniam in omni voce, fatente* Tullio, *eſt quiddam medium; ſed ſuum cuique voci: hinc gradatim aſcendere vocem utile & ſuave eſt. Nam à principio clamare agreſte quiddam eſt: & illud idem ad firmandum eſt vocem ſalutare. Deinde eſt quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius eſt quam acutiſſimus clamor, eò concionatorem fiſtula progredi non ſinebat, & tamen ab ipſa contentione revocabat. Eſt item contra quiddam in remiſſione graviſſimum, quòque tanquam ſonorum gradibus deſcenditur.*

At-

Atque hæc varietas, & hic per omnes ſonos vocis curſus, ad Tibiam attemperatus, & ſe tuebatur, & actioni afferebat ſuavitatem: Sed fiſtulatorem domi relinquendum, ſenſum autem hujus conſuetudinis ad forum deferendum ſuadet apud *Tullium* Craſſus, qui hujus fiſtulæ Gracchi rationem omnem nondum plane intelligenti Julio exponit. Illi uſui adhibitam Tibiam, *concionatoriam* nuncupat *Gellius* lib. 1. cap. 11. *Ecce autem pro tibicina Laconica, Tibiæ quoque illius concionatoriæ in mentem venit, quam C. Graccho cum populo agente præiiſſe ac præmonſtraſſe modulos ferunt.* Tonarion dicit *Quintilianus* lib. 1. cap. 10. *Ut uno interim contenti ſimus exemplo C. Gracchi, præcipui ſuorum temporum oratoris, cui concionanti poſt eum conſiſtens muſicus, fiſtula, quam tonarion dicunt, modos quibus deberet intendi, miniſtrabat.* Ideoque hanc talem memorat *Plutarchus* lib. de Cohib. Ira, ad quam muſici vocem per tonos varios formare ſolent: *Cajo quidem Graccho,*

cho, qui & moribus erat auſterioribus & in dicendo vehementior, fiſtula fuit concinnata, quali muſici [ἁρμονικοὶ] *vocem paulatim in utramque partem per tonos deducunt, hanc eo orante ſervus tenens à tergo aſtabat, tonumque lenem ſuggerebat.* Hinc fortaſſe *Syntonator* in Inſcriptione quæ Genuæ extat apud Canonicum Ferro:

C . . . . . . T V S T A C T V S
S V N T O N A T O R
R E G I S T H O L O M E I
L. V A N N. L.

Hanc mihi Romam Lugduno in Galliis tranſmiſit *D. Jacobus Spon*, Vir in perſcrutandis Antiquitatis ruderibus ſingulari genio præditus. Phonaſcicum inſtrumentum, φωνασκικὸν ὄργανον, Tibiam concionatoriam appellat *Plutarch.* in Gracch. Unde quos ἁρμονικοὺς ſupra adducto loco dicit, qui vocem ad cantum hujus flecterent & formarent, Phonaſci Latinis ſunt, ut *Suetonio*, & *Sidonio Apollinari* lib. 10. *non ſub phonaſco vocalium meditatum acroama intonat.*

tonat. Cujus mentio in Inſcriptione Antiq. apud Gruterum pag. 89.

TI. CLAVDIVS
QVI. MACEDO
PHONASCVS

Tertulliano, *muſicus monitor*, aliis dicitur *muſicus præceptor*, *magiſter cantus & vocis modulator*, quippe ejus erat, præparare ab imis ſonis vocem ad ſummas, momente *Quintiliano*.

Non ſolum concionem habenti ad populum modos certos dedit Tibia, ſed & ad eandem Poëtarum carmina recitata, quæ cantu remoto ſoluta eſſe videbantur oratio, maximeque id in quoquo Poëtarum, qui λυρικοὶ Græcis nominantur, quorum carmina, niſi Tibicen acceſſit, orationi ſunt ſolutæ ſimillima, quemadmodum de iis judicat *Tullius* in Orator. Meminit & hujus rei Cratinas Comicus, ὅταν Ἀδμήτου μέλος αὐλῇ. *Ubi ad Tibiam cecinerit Admeti carmen*. Unde ad hunc *Horatii* locum lib. I. Od. I.

—— *ſi neque Tibias*

Eu-

Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton,

notat *Chriſtophorus Landinus : Si muſæ: quas per Euterpen, unam ex iis, deſignat, non prohibent me à Tibia, id eſt à verſibus, qui Tibia canuntur.* Familiare id Lyricis fuit, inter quos *Horatius* lib. 3. Carm. Od. 4.

Deſcende cœlo & dic age Tibia
Regina longum Calliope melos.

Ad alia etiam carmina tranſiit Tibiæ uſus, ea nempe quæ Heroas in conviviis, & alios ſimul demortuos in funere, laudandi gratia canebantur : Quippe non Deorum ſolùm, ſed Heroum etiam laudes aliorumque, qui magni quicquam meruerant, Romani veteres Tibiarum cantu proſequebantur, vel etiam carminibus ad Tibiam accommodatis laudabant. Prius confirmat *Horatius* lib. 1. Od. 12. antequam ad alios Heroas perveniat :

Quem virum, aut Heroa, lyra, vel acri
Tibia ſumis celebrare Clio?

Quem

Quem Deum? cujus reſonat jocoſa
Nomen imago.

Præter Deos atque Heroas de Melibæo *Virgiliano* idem perhibet *Calphurnius* Eclog. 8.

Quare age, ſi qua tibi Melibæi gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis Tibia manes.
Et parere decet juſſis & grata jubentur,
Nempe fuit dignus ſenior quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibuſque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent: atque acta viri laudeſque ſonarent.

Factum hoc præcipuè in conviviis, ut pueri modeſtè cantillarent carmina antiqua in quibus laudes erant Majorum, & aſſa voce & cum Tibicine, quemadmodum *Varro* inquit lib. 2. de Vit. P. R. apud *Nonium*. Ab ipſis convivis atque accumbentibus eundem morem obſervatum, mihi teſtis eſt *Cicero* lib.

lib. 1. Tuſcul. Quæſt. *ſolitos eſſe*, inquit, *in epulis convivas canere ad Tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Idemque lib. 4. Tuſcul. confirmat ex Catone: *Graviſſimus author in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularem fuiſſe, ut deinceps qui accumberent, canerent ad Tibias, clarorum virorum laudes atque virtutes.* Quæ eadem à *Tullio* repetuntur in Bruto.

Cæterum cur ad Tibias majores natu Romanorum in conviviis egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangerent, cauſam addit *Val. Maximus* lib. 2. *quò nempe ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.* Et hoc ſignificat evidentiùs convivium in honorem Herculis celebratum, in quod Tibias introducit *Heliodorus* Æthiop. lib. 4. Idque non minus feſtis quam profeſtis diebus factum eſt, quemadmodum ex *Horatio* diſcere eſt, qui lib. 4. Carm. Od. 15.

Noſ-

Noſque & profeſtis lucibus, & ſacris,
Inter jocoſi munera Liberi,
Cum prole matroniſque noſtris,
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos, more patrum, Duces
Lydis remiſto carmine Tibiis,
Trojamque, & Anchiſen & Almæ
Progeniem Veneris canemus.

De Divum honore cum Tibiarum cantu atque lætitia populari juncto, quod tamen ſine curriculo & certatione corporum fieret, loquitur *Cicero* lib. 2. de Leg.

Nec ſolum in conviviis honoratorum virorum laudes carminibus comprehendebant ad Tibiam cantatis, ſed etiam ubi juſta funeribus eorum ſolverent, Tibiarum uſus frequentiſſimus, uti ſuo loco uberius exponimus. Hic ſaltem antiquum illum morem, quod nænia ad laudandos mortuos in funeribus ad Tibiam caneretur, confirmare placet ex *Cicerone* de Leg. qui lib. 2. *Honoratorum Virorum laudes*, inquit, *in concione memoranto, eaſque ad can-*

tus ad Tibicinem proſequuntor: Cui nomen Næniæ: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant. Hæc carmina in funere non Heroum ſolùm, ſed & omnis generis & ætatis hominum, mortuos laudandi gratia, cantata eſſe certum eſt ex *Feſto: Nænia eſt carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad Tibiam.* Canebatur autem Nænia hæc ad Tibiam à muliere in hunc finem conducta, quæ *præfica* dicebatur, de qua pluribus poſtea commentabimur. Hic tantùm inſtitutum noſtrum erat monuiſſe laudes Majorum atque mortuorum ad Tibias cantatas non in conviviis ſolùm, in eorum honorem inſtitutis, ſed & in exſequiis eorum celebrandis. Itaque ſi ad carmina hæc, à Præfica in laudem mortuorum ad Tibiam cantata, attendamus, non difficilis erit intellectu *Plauti* locus Trucul. Act. 2. Sc. 6.

Sine virtute argutum civem habeam pro præfica,
Quæ alios collaudare abſentes, ſeſe verò non poteſt.

Næ-

Nænia etiam de re læta accipi videtur, ut de carminibus quæ ludis Troicis canebantur apud *Varronem* lib. 4. de vita Pop. Rom. *Ibi à muliere quæ optima voce eſſet, Pergama laudari: deinde Næniam cantari ſolitam ad Tibias, & fides eorum, qui ludis Troicis curſitaſſent.* Niſi forte hic laudabantur ii, qui ad Trojam occubuiſſent.

CAPUT XV.

Tibia *in Funeribus, & Luctu.*

Mortuos ad ſepulturam proſequi cum cantu oportere, plurimarum gentium & regionum inſtituta ſanxerunt: Perſuaſione hac, ſi audiamus *Macrobium* lib. 2. in Somn. Scip. cap. 3. qua poſt corpus animæ ad originem dulcedinis Muſicæ, id eſt, ad cœlum, redire credantur. Ita etiam Tibia noſtra, ut flebiles modos funderet, ad Funera & luctum apud Veteres advocata eſt:

Cantabat mœſtis Tibia funeribus, ut confitetur *Ovidius* Faſt. lib. 6. Ideo ἀυλὸς πένθημος *Polluci*, & *ad Tibicines mitti* dicuntur apud *Petronium*, ex lectione *Tornæſii* & *Erhardi*, ii qui deſperata valetudine morti ſunt proximi. Erat omnium formoſiſſimum Claudii funus, apud *Senecam*, ubi *Tibicinum, cornicinum*, omniſque generis *ſonatorum* tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire poſſet. Inde tracta ſimilitudine Corvum quemdam, præcedente Tibicine, Æthiopum humeris elatum, tradit *Plinius* lib. 10. cap. 43. In funeribus enim & luctu Tibiarum uſus permagnus fuit, quem optimè exprimit *Nonnus* Dionyſ. lib. 49. de Tibicinibus Phrygiis, qui circa mortuos luctuoſo ore cecinerunt:

Καὶ Κλεόχου βερέκυνθες ὑπὸ στόμασι δίζυγες αὐλοὶ
Φρικτὸν ἐμυκήσαντο Λίβυν γόον. i. e.

Et Cleochi Berecynthes ſub ore geminæ Tibiæ,

Hor-

Horribilem mugiebant Libycum lu-
ctum.

De his conſule *Alexand. Aphrodis.* lib. 1. Probl. 76. *Stuckium* Ant. Conv. lib. 3. cap. 20. *Alexandr. ab Alexandro* lib. 3. cap. 7. *Pinedam* in cap. 3. in *Job.* verſ. 8. & *Aringhum* Rom. Subterran. Tom. 1. lib. 1. cap. 18. alioſque.

Adhibebantur autem Tibiæ in funeribus atque luctu, ut hominum, mortuos lugentium, animi languentes ejuſmodi ſono excitati, minus dolorem ſentirent, qui iis oblectamentis facile diſtrahi ſoleant, quemadmodum ſuſpicatur *Polyd. Vergilius* de Rer. Invent. lib. 4. cap. 11. Et *Sextus Empiricus* Adv. Mathem. lib. 6. *Unde etiam*, inquit, *lugentibus modos canunt Tibiæ, quæ iis luctum levant.* Contra verò apud *Euripidem* in Alceſt. Tibia in luctu, tanquam lætitiæ inſtrumentum, omnino prohibetur:

Αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος
Ἔστω, σελήνας δώδεκ· ἐκπληρουμένας
Οὐ γάρ τιν ἄλλον φίλτερον θάψω νεκρόν. i. e.

Tibiarum verò ne per urbem neque lyræ ſtrepitus
Sit duodecim integris menſibus,
Non enim ullum aliud charius cadaver ſepeliam.

Familiarior tamen mos viguit, *cum Tibiis lugubre carmen ad vigilias & cantilenas perſonare mortuorum*, ut corda torpentium excitarentur ad lamenta, ex mente *Paſchaſii Ratberti* in Matth. 9. verſ. 23. Unde funereos modos dabant Tibicines. *Sedulius* lib. 3.

Funereoſque modos cantu lacrymante ferebant
Tibicines, plangorque frequens confuderat ædes.

Et funebres illæ Tibiæ carmen ferale decantabant, de quo *Claudianus* de Rapt. Proſerpin.

Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt.

Cyprianus, vel quicunque alius auctor libri de Spectaculis: *Alter lugubres ſonos ſpiritu Tibiam inflante moderatur.* Quippe threni & lamenta ad

Ti-

Tibiam in funeribus canebantur, quemadmodum in veneratione Divina Hymni, in nuptiis Hymenæi, teſte *Iſidoro* lib. 2. c. 15. Ita etiam apud *Pollucem*, οἱ πρὸς τὸν αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι. *Didymus*, Elegiam, ait, eſſe luctuoſum carmen ad Tibias decantari ſolitum. In exequiis Pertinacis, ut *Xiphilinus* refert, multi cecinere flebile carmen ad Tibias. Et hoc funebre carmen antiqui Næniam propriè vocabant, ut *Quintilianus* lib. 8. cap. 2. Et quamvis Nænia pro Dea ſumatur apud *Arnobium* Adv. Gent. lib. 4. in cujus tutela erant, quibus extrema tempora imminebant, frequentins tamen apud Romanos id carmen, quod cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo adcanebatur, Nænia dicebatur, ex *Diomede Grammatico*. Illud conducta precio mulier, quæ in funere aderat & Præfica dicebatur, iis quibus propinqui non eſſent, mortuis exhibebat, referente *Nonio*. Unde *Lucillius* Sat. 22.

— Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ.

Id quod expreſſit *Statius* in Epicedio Patris:

Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdonioſque colunt & non ſua funera plorant.

Atque idem confirmat vetus Lapis *Dempſtero* in *Roſin.* lib. 5. cap. 39. laudatus:

P. ACTILIO. RVFFO. ET. ACTILIAE. BERONICAE. VX. VIXERAT. ANN. XXIV. SED. PVBLI MENS. X. ANTE. NATVS. EST. ET. EADEM HORA. FVNGOR. ESV. AMBO. MORTVI SVNT. ILLE. ACV. ISTA. LANIFICIO. VITAM. AGEBANT. NEC. EX. EORVM. BONIS. PLVS. INVENTVM. EST. QVAM QVOD. SVFFICERET. AD. EMENDAM PYRAM. ET. PICEM. QVIBVS. CORPORA CREMARENTVR. ET. PRAEFICA. CONDVCTA. ET. VRNA. EMPTA. ATQVE INDVLGENTIA. PONTIFICVM. LOCVS DATVS. EST.

Illæ Præficæ, quæ ſic ad lamentandum mortuum conductæ erant, dederunt cæteris plangendi modum, quod innuit *Feſtus*, atque in funere næniam laudandi gratia cecinerunt ad Tibiam. Cujus vocis originem ut repetat idem *Feſtus*, eſſe dicit qui eo verbo finem ſignificari putant: quoſdam velle Næniam inde dictam, quod voci ſimilior ſit querimoniæ flentium: quoſdam autem næniæ dictum nomen ab extremi inteſtini vocabulo; Græci enim νέπυν extremum dicunt. Sive quod chordarum ultima νέτη dicitur, extremam cantionis vocem næniam appellarunt. Græci virum qui munere Præficarum functus eſt, προσῳδὸν vocarunt, cujus mentio apud *Euripidem* in Phœniſſ. verſ. 1499. quam vocem optimè interpretatur *Scholiaſtes*; nempe ordinare planctus, ut idem ſit qui apud *Feſtum* dat cæteris plangendi modum. Non ſolum funebre carmen cantatum eſt ad Tibiam ubi exequias celebrabant & juſta funeri ſolvebant, ſed etiam, ut ſcri-

bit *Lucianus* lib. de Luct. ipſæ in luctu iterari ſolitæ pectoris tunſiones, attemperatæ ſunt ad modos Tibiæ.

Apud Euangeliſt. *Matthæum* c. 9. verſ. 23. οἱ αὐληταὶ adfuiſſe filiæ Principis illius demortuæ leguntur, ubi per ὄχλον θορυβούμενον, ipſæ Præficæ intelligendæ. Quem locum ex Talmudicis illuſtrat *Lightfootus* Hor. Hebraic. in Matth. Quippe ſolenne id fuit Judæis, Tibicines adhibere ad luctum mortuorum. A gentilibus Tibicines in funerum curatione mutuatos fuiſſe Judæos, *Ambroſius* lib. 8. in Lucam ſcripſit, & probat *Bartholomæus Mayerus*. *Chytræus* verò & alii hanc conſuetudinem à Judæis ad Ethnicos deſcendiſſe ſentiunt. Quicquid ſit, morem hunc antiquiſſimum fuiſſe conſtat; & eò magis, ſi apophthegma illud ſacrum: *Cantavimus vobis Tibiis, & non ſaltaſtis: lamentavimus, & non ploraſtis*, huc pertinet, quod *Sculteto* placet lib. 2. Exercit. Euang. cap. 55. Ideo *Baba Metſia* cap. 6. in *Miſna*, Tibiam

vel

vel pro ſponſo vel pro mortuo eſſe dicit, ejuſque uſum ad nuptias & funus reſtringit. Conſule de ea re *Joſuam Arndum* Miſcell. Sacr. c. 27. Pauperrimus etiam inter Iſraëlitas, uxore mortua, præbere ei non minus quam duas Tibias & unam lamentatricem tenebatur; Sed ſi Idololatra Tibias afferret Sabbatho ad domum ubi aliquis erat mortuus, ad Tibias iſtas non debuit lugere Iſraëlita, ut ex Talmudicis pluribus probat *Lightfootus*. Ieroſolymis, cum Joppe capta, Joſephus occiſus diceretur, ſcribit ipſe *Joſeph* lib. 3. cap. 15. captæ Judææ: πλείστους μισθοῦσθαι τοὺς αὐλητὰς, οἱ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς *multos conductos fuiſſe Tibicines, qui luctum inciperent*. Nec minus apud Græcos defunctis ἀοιδοὺς θρήνων ἐξάρχους præſto fuiſſe conſtat, quod *Homerus* de Hectoris cadavere allato, aliique. *Appianus* lib. 1. Bell. Civ. Tibicinum magnam copiam adfuiſſe funeri Scyllæ teſtatur. Eam ob cauſam apud Romanos cum à nimio Tibicinum numero funera gravarentur, non

plures in funere Tibicines eſſe quam decem, voluere Decemviri. Unde in Fragm. 12. Tabul. inter leges Decemvirales etiam hæ ſunt, quas *Cicero* lib. 2. de Leg. recenſet: *Sumptum minuito, tria ſi volet reicinia, & vincula purpuræ, & decem Tibicines adhibeto, hoc plus ne facito.* Quorum doctam explicationem qui deſiderat, adeat *Rittershuſium* in Dodecal. Claſſ. 1. cap. 4. & ſeq. Hoc idem tangit *Ovidius* lib. 6. Faſtor. de Tibicinibus:

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.

Adde quod Ædilis, *Gothofredus* correxit, *Edictis*, & mox, pro *juſſerat*, reponit: *Jus erat.* At priorem lectionem retinet *Sylvius* Comment. in Legg. 12. Tabb. quia Ædilium curæ incumbebat, ut caverent ne quo alio more quam patrio & legitimo Dii colerentur, teſte *Livio* pluribus in locis: at hoc patrium erat in religione manium.

Hu-

Hujuſmodi Tibias funebres priſcis temporibus Flamini Diali audire non licuiſſe, *Feſtus* author eſt: *Funebres Tibiæ dicuntur cum quibus in funere canitur, quas audire Flamini Diali putabant illicitum.* Qui tales funebres Tibias inflarunt, *Siticines* appellantur Latinis, quod apud ſitos canerent, hoc eſt vita functos & ſepultos, iidem Sicinniſtæ *Gellio* lib. 20. cap. 3. Græcis τυμβαύλαι nominantur, quemadmodum Eumenes apud *Ælianum* Var. Hiſt. l. 12. c. 43. qui patre inope & *Tymbaulo* fuiſſe creditur. *Chryſoſtomus* Orat. 49. refert, *Iſmeniam ob hoc maxime indignari, quod ſiticines* (τυμβαύλαι) *appellarentur Tibicines*; at nequaquam ſuo judicio rem eſſe indignatione dignam: nihil enim demortuis afferre detrimenti *Siticines*, nec illis eſſe moleſtos. Hanc diſcordiam inter Tibicines & Siticines, quos *monumentarios ceraulas* vocat, indicat etiam *Apulejus*, cum apud eum Antigenides inſignis Tibicen indigniſſimè tulerit hoſce in

Tibicinum numero cenſeri, Florid. lib. 1. *Is igitur cum eſſet in Tibicinio apprimè nobilis, nihil ſe æquè laborare & animo angi & mente dicebat, quam quod monumentarii ceraulæ Tibicines dicebantur.* Notandum autem Tibias quas Siticines illi inflabant, à reliquis nonnihil diverſas fuiſſe. *Gellius* lib. 20. cap. 2. *Nos autem*, inquit, *in Attei Capitonis conjectaneis invenimus, ſiticines appellatos, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt, vita functos & ſepultos, eos habuiſſe proprium genus Tubæ à cæterorum differens.* Illam differentiam notat *Galenus* lib. 3. de Sympt. Cauſ. nimirum quod latiſſimæ fuerint, quæ ob materiam, ex qua conſtabant, purum ſonum reddere non potuere, atque viæ, qua ſpiritus tranſiit, latitudo ſonum efficiebat graviorem: *Porro alii ſunt bomboſi, bombis latiſſimarum Tibiarum non abſimiles, quales habere ſolent ii, qui* τυμβαύλαι, i. e. Siticines, *appellantur.* Ideo *Ariſtoteles* lib. 4. Hiſt. Anim. tradit eos qui calido

lido utuntur ſpiritu talem emittere vocem, qualem ſiticines & lamentatrices graviorem ſonum inſpirant Tibiis. Et hoc idem ſatis confirmat *Statius*:

—Cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum deducere manes.

Kirchmannus de Fun. Rom. lib. 2. c. 5. Tibias illas cæteris latiores ac longiores fuiſſe memorat, quales in antiquorum ſepulchris exſculptæ videntur, idque probat ex *Ovidio* lib. 2. Amor. El. 6.

Horrida pro mæſtis lanietur pluma capillis
Pro longa reſonent carmina veſtra tuba.

Erat tamen aliud genus Tibiarum, γιγγρίαι αὐλοὶ, palmi longitudine, & ſtridulum atque acutum, ſed luctuoſum, ſonantes, quibus Cares in luctu utebantur. Querulus Lydii modus ferali Tibia cantatus funeri conveniebat, ex *Apulejo* lib. 4. Mileſ. *& ſonus Zygiæ*

giæ Tibiæ, mutatur in querulum Lydii modum. Ita ex Ariſtoxeno tradit *Plutarchus* lib. de Muſic. primum Olympum funebre Tibia carmen in funere Pythonis Lydio ritu ceciniſſe. Unde αὐλεῖν πυθικοῖς αὐλοῖς πένθος σημαίνει apud *Artemidorum* lib. 1. Tibiarum autem funebrium inventores *Statius* Phrygas videtur aſſignare lib. 6. Thebaid. cui adſtipulatur *Pollux* lib. 3. ubi addit etiam uſum illum Tibiarum funebrium à Phrygibus Cares accepiſſe, unde illæ mulieres quæ Caricum illud melos ad Tibiam canebant, Καρῖναι θρηνῳδοὶ μουσικαὶ, dicuntur *Heſychio.*

Cæterum an generalis hic fuerit in omnibus omnino funeribus Tibiarum uſus, adhuc ſub judice lis eſt. Sunt qui Tibias ad puerorum ſolùm exequias reſtringunt. Ita *Servius* in lib. 5. Æneid. *Sciendum majoris ætatis funera ad tubam ſolere proferri, minores verò ad Tibias.* Nec aliter *Lactantius Grammaticus* in *Statium: Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus Tibia caneretur.*

caneretur. Quia hoc de minoribus umbris & teneris manibus aſſeruiſſe quodammodo videtur ipſe *Statius*, Thebaid. lib. 6.

Cum ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum deducere manes
Lege Phrygum mœſta. Pelopen monſtraſſe ferebant
Exequiale ſacrum carmenque minoribus umbris
Utile ......

Atque hæc cauſa fuit, quod parum circumſpectè nuper admodum *Octavius Falconierius* in Diſſert. de Pyramide C. Ceſtii, evincere conatus ſit, figuram, quæ ibi cernitur Tibias longas in manibus habere, ad *Inſtaurationem funeris* ſignificandam non pertinere, quemadmodum cum ſumma veriſimilitudine ex aliis ibidem exiſtentibus figuris ſuſpicatus erat alius Vir eximius mihique amicus. Contra quem, ſed fruſtra, prætendit *Falconierius*, Tibias non

non habuiſſe locum in ſepulcro C. Ceſtii, quia illarum ſolùm uſus erat in exequiis juvenum. Verba ejus in Diſſertatione, Italico idiomate ſcripta, ita habent: *Anzi quando voleſſe averſi riguardo ſtrettamente all'uſo proprio delle Tibie in tale occaſione, potrebbe opporſi non aver'eſſe avuto luogo veriſimilmente nel mortario di Cajo Ceſtio, imperò che eſſe s'adoperarono ſolamente in quelli de' giouani, argumentandoſi ciò da quel verſo di Stazio.*

Verum enim verò, quemadmodum illis aſſentiri non poſſum, qui nimis anguſtos rei ubique uſitatiſſimæ limites adſcribunt, quippe *Statius* cum dixit eam teneros deducere manes, neutiquam uſum ejus in adultorum funere excluſit, cujus innumera exempla videmus; Ita neque in illorum ſententiam tranſeo, qui ſolis plebeiorum funeribus tibiam concedunt, inter quos idem *Lactantius Grammaticus*, ideoque *Ovidium* ita ceciniſſe lib. 5. Triſt. El. 1.

Ti-

Tibia funeribus convenit iſta meis.

Tubam verò in funeribus potentiorum admittunt, ex *Propertio* lib. 2. El. 4.

Nec tuba ſit fati vana querela mei.

Et lib. 4. El. ult.

Sic mœſtæ cecinere tubæ cum ſubdita noſtrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Eapropter in nobilium funeribus nullas Nænias cantatas eſſe, vult *Sylvius* Comment. in Legg. 12. Tabb. quia exaudiri non poſſent, Tuba voces obtundente. At huic objectioni mox ſatisfiet. Certum eſt in funere nonnunquam Tubam locum habuiſſe, de cujus forma vide *Magium* in Miſcell. lib. 2. c. 12. cæterum non ideò excludenda Tibia, cujus frequentior apud autores mentio occurrit, quàm tubæ, & ad quam in omnibus funeribus nænia cantata, non in plebejorum ſolis, cum illam in Jul. Cæſaris funere agnoſcat *Suetonius* cap. 84. ubi Tibicines & ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum induerant, detractam ſibi atque

atque deſciſſam injecere flammæ. Facile eſſet hoc latiùs pluribus oſtendere, niſi ex ante dictis ſatis pateret. Quapropter Tibias funeribus quibuſcunque, nempè puerorum, ſenum, divitum, pauperculorum, plebejorum, & nobilium adhibitas cenſeo cum *Kirchmanno*, qui de Fun. Rom. lib. 2. cap. 5. hanc ſententiam eodem quo *Magius* Miſcell. lib. 1. cap. 13. probat argumento, quod næniæ ad Tibiam cantatæ ſint, communes autem omnibus funeribus nænias putat. Sanè vero ſimile eſt næniam in omnibus funeribus fuiſſe, unde *Cicero* de Clodii funere in Miloniana: *ſine cantu, ſine Tibia.* Certè ubi defuit Tibia, nullam fuiſſe næniam obſervo ex *Ovidio*, qui lib. 4. Faſtor. de Tibicinibus qui Romam reliquerant:

Exilio mutant Urbem, Tiburque recedunt.
(Exilium quodam tempore Tibur erat.)
Quæritur in ſcena cava Tibia, quæritur aris:

Du-

Dicit ſupremos nænia nulla choros.

Ad ſolos itaque Tibias nænia cantata eſt, quas omnibus ferme funeribus aſſignatas, ſupra ſatis oſtenſum eſt. Sed eos, qui Tubas etiam ad nænias pertinere exiſtimant, refutat *Gutherius* de Jure Manium lib. 1. cap. 23. Nec Viri docti ſententiam ſequitur, qui ad Leg. 12. ſcribit Tubas næniæ convenire ſi funus publicum eſſet, in quo quidem Tubæ admiſtæ ad dignitatem non ad næniam. Movetur Vir ille acutiſſimus *Propertii* effato lib. 4. El. ult.

Sic mœſtæ cecinere tubæ,

Et *Epicteti* definitione, *quid eſt tuba? funeris deploratio.* Cæterum, ut opinionem *Gutherii* jam meam faciam, illa deploratio nihil ad Næniam. Deploratus enim idem eſt ac conclamatus, & Tuba verè eſt funeris conclamatio, cum luctus ultimi pompa procedit, quo tempore tubarum maximè ſtrepitus excitabatur. Ut adeò funebres Tibiæ, non tubæ, ad næniam ſpectarent. Ergo

go nec Tibiæ ad certa quædam funera reſtringendæ ſunt, nec tuba omninò à nonnullis excludenda.

CAPUT XVI.

Tibia *Nautica.*

IN navibus olim atque triremibus adfuit aliquis qui nauticum carmen cum modulatione & Tibia remigibus cecinit. Talem refert *Duris Samius* apud *Plutarchum*, & cum eo *Athenæus* lib. 12. in Alcibiadis navi, ab exilio redeuntis, Chryſogonum fuiſſe, qui Pythicam indutus ſtolam, ἦυλε τὸ τριηρικὸν, *carmen nauticum canebat*, & quidem tanta arte remigum manus dirigebat, ut quum illi remorum pulſum cum Chryſogoni cantu conjungerent, jucundam audientibus redderent harmoniam, id quod & annotavit *Cæl. Rhodiginus* lect. Antiq. lib. 9. cap 10. De hac Tibia luculentum eſt *Maximi Tyrii* teſtimonium Diſſert. 23. *Quid in*

Mu-

Muſica bonum eſt? harmonia. Unum aliquid eſt harmonia, multiplex vocum diſcordia. In triremi unum aliquod eſt vox Tibiæ [ἐν τριήρει ὁ μὲν αὐλὸς, ἓν,] *multiplex inobedientia.* Et apud eundem Diſſ. 31. in navi illa Regia, *Tibia fremituſque hominum & ſtridebat arundo.* Inde facile rationem aſſequi licet cur ex *Cicerone* lib. 2. de Natur. Deor. ille apud Actium paſtor, qui navem nunquam ante vidiſſet, ut procul divinum ac novum vehiculum Argonautarum è monte conſpexit, primò perterritus admiratur tantam molem, quæ labitur fremebunda ex alto, ingenti ſonitu præ ſe undas volvens; deinde dubitat quæ ſit ea natura, quam cernit ignotam: Poſtea juvenibus viſis, auditoque nautico cantu, *Sylvani melo conſimilem cantum* ad aures ferri confeſſus eſt. *Ariſtophanes* in Acharnens. Act. 2. Sc. 5. inter navales tumultus, quibus plena eſſet Civitas Tibicines recenſet, atque inter apparatum nauticum meminit etiam αὐλῶν, κελευστῶν, νιγλάρων, συριγμάτων,

Ti-

Tibiarum, *hortationum*, *carminum navalium*, *fiſtularum*. νίγλαροι, Interpres genus muſicæ modulationis eſſe dicit, quo remiges exhortabantur. Quod idem *Pollux* inter genera cantionum Tibiarum retulit, lib. 4. cap. 10. Tibiam autem, quæ ad hunc uſum adhibita eſt, ſingulari nomine inſignitam, τριηρικὸν αὖλον *Maximus Tyrius* appellat Diſſert. 33. Unde Tibicen Nauticus, qui Tibiam illam in triremibus inflabat, τριηραύλης dictus apud *Pollucem* lib. 1. cap. 9. & *Athenæum* lib. 12. *Symphoniaci* Latinis dicebantur, ut *Tullio* 1. in Verrem: *Ab hac præfectus Antonii quidam ſymphoniacos ſervos abducebat per injuriam, quibus ſe in claſſe uti velle dicebat.* Cæterum τριηραύλην alium ac diverſum fuiſſe ab Hortatore, vide multis probantem *Schefferum* de Re Navali Veter. ubi varia Tibiæ hujus apud veteres uſum illuſtrantia adducit, quæ apud ipſum petenda cuivis relinquere ſatius duximus, quam huc alieno ſtudio congeſta transferre.

In Italia hodieque nautis in triremibus illud celeuſma Tibia præcinitur in eum finem, ut æqualis & cuivis occaſioni pro arbitrio aptus atque reſpondens ſit navis curſus, ne diverſo ac multiplici remorum ictu impediatur. Nec diverſum vel alium hujus Muſices finem antiqui habuere, quam ut triremis à remigibus impelleretur ad Tibiæ modos, qui diverſas manus pari remigandi ſtudio conjungebant, nam ſublata Tibia opus illorum diſſolvi teſtatur *Max. Tyrius* Diſſ. 23. Ita etiam apud eundem Diſſ. 21. ὑπ' αὐλῷ οἱ μὲν ἤρεσσον, οἱ δὲ ἐμάχοντο: ἐνίκων δὲ ἄμφω, *ad Tibiæ modos remigabant alii, alii pugnabant; utrique vincebant.* Ubi addit alium Tibiæ nauticæ uſum, quem confirmat *Aſconius Pædianus* in 1. Verr. *Poſſumus intelligere ad hoc ſymphoniacos ſervos capi ſolere, ut in claſſe, claſſicum pugnantibus canant.* Priorem verò uſum ad remos juſto ordine impellendos illuſtrat *Euripides Iphig. in Tauris.*

Καὶ σὲ μὲν πόντι' ἀργεία
Πεντηκόντερος οἶκον ἄξει.
Συρίζων δ' ὁ κηροδέτας
Κάλαμος οὐρείου πανὸς,
Κώπαις ἐπιφθέγξει. i. e.

Te vero ò inclyta Argiva
Navis quinquaginta remis acta vehet domum,
Modulans verò cera compacta
Fiſtula montani Panos
Impellet ſono remos.

Effecit etiam nautica hæc muſica, ut animos remigum ſuavi modulatione captos in oblivionem laborum & majorem tolerantiam deduceret, & tantos juberet neſcire labores. *Iſidorus* Orig. lib. 2. cap. 16. *Siquidem & remiges cantus hortatur, ad tolerandos quoque labores muſica animum mulcet, & ſingulorum operum fatigationem modulatio vocis ſolatur.* Ita etiam *Cenſorinus* cap. 49. *Quo facilius ſuperent laborem, vel in navis motu à vectore ſymphoni adhibetur.* Atque hoc pacto nautæ cantu ſuperabant marina diſcri-

crimina. Excute *Petr. Chryſologum* ſerm. 10. Nimirum, ut *Fabius* lib. 1. cap. 10. Muſicen natura ipſa videtur ad tolerandos facilius labores, velut muneri nobis dediſſe.

CAPUT XVII.

Tibiarum *vis ad commovenda Bruta Animalia.*

ECquid mirum ſi inter homines tanta muſicæ dominatio eſt, cum ipſas quoque beſtias, nec non & ſerpentes, volucres atque Delphinos ad auditum ſuæ modulationis muſica provocaverit, ſi adeamus *Iſidorum* Orig. lib. 2. cap. 16. dum aves quoque, ut luſciniæ & cygni aliæque id genus, cantum veluti quadam diſciplina artis exerceant: Nonnullæ verò vel aves terrenæ ſeu aquatiles belluæ, invitante cantu in retia ſponte decurrant, & paſtoralis fiſtulæ paſtum progreſſis quietem imperat gre-

gibus? Nec mirum: ineſſe enim animæ mundanæ cauſas muſicæ, quibus eſt intenta, prædixit *Macrobius* lib. 2. in Somn. Scip. cap. 3. Quid de hujuscemodi exemplis dicendum, apud Autores varios reperiundis, in quibus non fabula ſed veritas gloriam procreavit? Unde enim beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur? Cervi fiſtulis capiuntur? Piſces in ſtagno Alexandriæ crepitu detinentur? Cygnos hyperboreos citharæ cantus adducit? Elephantos Indicos organica permulſos detineri voce compertum? Fiſtulis aves allici comprobatum? Fides delphinis amicitiam hominum perſuadere? Quid? Cantibus allici disrumpique ſerpentes, ſi credimus *Martian. Capell.* lib. 9. Unde enim, inquam, hæc omnia deducamus, niſi ad muſices ſuavitatem confugiamus ejuſque inſignem vim in animas mundanas, quibus illam cognatam Veteres voluêre?

Tibiæ cantu uſque adeo capiuntur Libycæ Equæ, ſicut teſtem habeo

Ælia-

Ælianum de Animal. lib. 12. cap 44. ut hujus blandimentis manſueſcant & inſultare ac lædere deſinant, & quocunque eas cantiuncularum blanditiæ invitaverint, eò paſtorem conſequuntur: Quum ille inſiſtit, hæ etiam gradum ſiſtunt: Et ſi cantum contentiorem ad Tibiam cantat, tanta voluptate afficiuntur, ut lachrymas tenere non poſſint. Præterea ex *Euripide* refert, paſtores, hymenæos ad Tibiam cantantes, ad venerem equas incitare, atqu etiam equos ad ineundas fœminas incendere, additque: τελοῦνται μὲν ἱππικοὶ γάμοι τὸν τρόπον τοῦτον, καὶ ἔοικεν ὑμέναιον ᾄδειν τὸ αὔλημα. *Ad hunc modum equinæ nuptiæ initiantur, ut nuptiale carmen Tibia præcinat.* Ibidemque memorat, quod equorum paſtores *ex Rhododaphne arbore paſtoritiam Tibiam excavant*, cujus ſonoro inflatu armentum demulcent. Tibia hæc, qua paſtores in Equorum utebantur paſcuis, ἱπποφορβὸς αὐλὸς; dicitur *Polluci*, ea erat è lauro delibata & emedullata, ſtridore peracuto

 atque

atque hinnitum maximè referente, uti *Scaliger* lib. 1. Poët. cap. 4. Sanè hoc genus animalium Tibiarum cantu inſigniter excitari, multi prodidêre. *Solinus* cap. 45. *Agrigentina etiam regio frequens eſt equorum ſepulchris, quod munus ſupremorum meritis datum creditur. Voluptatem his ineſſe, Circi ſpectacula prodiderunt: quidam enim equorum, cantibus Tibiarum, quidam ſaltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accenſis facibus ad curſus provocantur.* Equos ſaltare ad Tibiæ ſonum ſi aſſuefiant, docet *Plinius* lib. 8. cap. 42. *Equorum docilitas*, inquit, *tanta eſt, ut univerſus Sybaritani exercitus Equitatus ad ſymphoniæ cantum moveri videatur.* Et hinc illa Sybaritarum ſtrages, à Crotoniatis accepta, de qua *Ariſtoteles*, & *Athenæus.* Cum enim ſcirent Crotoniatæ Sybaritarum Equos audito Tibiarum ſono, in poſteriores pedes ſe erigere, pedibuſque prioribus motus quoſdam geſtuſque exhibere ad numerum ſalta-

torios; Congreſſuri cum illis in pugna, militibus ſuis immiſcuêre Tibicines, quorum melodiam cum audiviſſent Sybaritarum equi, non ſolum exſiliverunt, verum etiam excuſſis ſeſſoribus confugerunt ad Crotoniatas. Simile refert exemplum *Gaſp. Schottus* Phyſicæ Furioſ. lib. 8.

Cervi etiam Tibiis mulcentur, ſi fides ſit *Porphyrio* lib. 3. de non Necand. Animal. κηλοῦνται μὲν ἔλαφοι αὐλοῖς. De iis memorabile exemplum perhibet *Ælianus* Hiſt. Animal. lib. 12. cap. 46. Nimirum apud Tyrrhenos, cervos, uti & apros, cùm retibus & canibus, ut venandi uſus ferre ſolet, tùm maximè muſices adjumento capi. Quod quidem ipſum quomodo fiat, porrò explicat: Circumjectis retibus & cæteris inſtrumentis accommodatis ad faciendas beſtiis inſidias, collocatis, homo ad Tibiam canendi benè peritus (ἀνὴρ αὐλῶν τεχνίτης) quoad fieri poteſt, omnem cantus contentionem remittit & relaxat, & quidlibet ad canendum ſuave

præclarè uſurpat: Et ſenſim progrediente illo, in montium vertices & convalles, & denſa frutetis loca, atque in omnia luſtra ferarum & cubilia, Tibiæ cantus influit. Ac nimirum primò in eorum aures influentis ſoni inſolentia ipſos terret: Deinde cum impotenti voluptate aures tenentur, tunc nullo negotio comprehenduntur, cantuſque ſuavitate deliniti, in eorum quæ procreaverint & domeſticarum ſedium oblivionem veniunt. Sic igitur Tyrrhenæ beſtiæ paulatim tanquam ſuadæ illecebra ducuntur: Et quaſi cantu perſtrictæ in laqueos ſeſe inſerunt, quibus illaqueatæ comprehenduntur.

Luporum etiam impetum Pythocarem Tibicinem vehementi & concitato Tibiæ ſono cohibuiſſe, author eſt idem *Ælianus* lib. 11. Hiſt. Anim. cap. 44. Porrò, de Elephantis idem memorat *Strabo* lib. 15. quod nos ſupra de equabus Libycis. Et illud ampliùs narrat *Ælianus* lib. 1. de Anim. cap. 11. ſaltare Elephantum ad numerum,

rum, Tibia audita demulceri, curſum tardare ad ſoni tarditatem, ſeque remittere ad remiſſionem Tibiæ: Rurſus cum acutè ſonans impellit, feſtinare, & omnia perfectè aſſequi diſcere. Mira ſunt quæ de Aſino ſcribit *Cardanus* lib. 10. Subtil. ex *Joanne Africano*, teſte oculato, circulatorem quendam in ſuburbio civitatis Chairi Ægypti, nomine *Bebelloch*, ſingulis diebus Veneris (qui feſti ſunt Mahumetanis) Aſinum habuiſſe ita inſtructum, ut ad Tibiam ſaltaret, & voce in aurem inſuſurrata ſupinus ſponte concideret, clauſis oculis, inflareturque quaſi venenum bibiſſet, nec minis adductum, nec verberibus, ut ſurgeret: blanditiis verò & ſpe vehendi formoſas mulieres propoſita, alacrem ſurrexiſſe, ubi verò audiviſſet vehendas eſſe aniculas, demiſſis auribus claudicaſſe, aliaque ſimilia feciſſe, quæ magnæ ſolertiæ indolem oſtentarunt.

Non minus volucrum genus ad ſe trahunt ſuaves Tibiæ moduli, cujus

rei inſigne præbet teſtimonium homo ille apud *Max. Tyrium* Diſſert. 37. qui animalia domi magno ſtudio aluit. Inter alia aves habuit, quæ ſuaviter matutino tempore canebant, inconditè tamen ut reliquæ ſolent. Hæ cum quotidie audirent Tibicinem illum, qui artis ſuæ faceret periculum, reſpondere voce cœperunt, aureſque earum ita ad Tibiam paullatim formavit, ut quoties inflare cœpiſſet, Tibiam voce præeuntem, ut in choro fieri conſuevit, ſequerentur omnes. Maximè verò turturem Tibia & ſaltatione capi creditum eſt. Ideo Ægyptii hominem, ſaltatione Tibiarumque cantu gaudentem, notantes, turturem pingebant, teſte *Horo Apolline* in Hieroglyphicis lib. 2. Hierog. 51.

Ad Aquatilia etiam tranſiit hæc voluptas, Tibiarum ſuavitati debita, quæ inter cruſtacea Paguros adeo allicit, ut facillimè hac rapiantur, referente *Geſnero* Hiſt. Aqu. f. 121.

& an-

& ante ipſum *Æliano* de Anim. lib. 6. cap. 31. dum enim piſcatores latenter calamos inflant & Tibiis ludunt, Paguri vocem & muſicæ conſenſum exaudientes, ſuavitate deliniti aſſequuntur, ad littora piſcatores & in terram usque deſcendunt. Sic etiam Paſtinacam marinam mirificè Tibia delectari, & ita, dum voluptate tota mulcetur & nihil metuit, capi, ex *Oppiano* narrat *Grevinus* de Venen. lib. 1. cap. 31. Cui fidem facit *Ælianus* de Animal. lib. 17. cap. 18. Delphinorum genus quantopere cantu & Tibiis delectetur luculentum affert teſtimonium *Ælianus* Hiſt. Anim. lib. 12. cap. 45. Mulcentur quippe muſica: gaudent cantibus Tibiarum: ubicunque ſymphonia eſt, gregibus adventant, quemadmodum de illis *Solinus* cap. 12. & *Plinius* lib. 11. cap. 37. Et propter hunc muſices amorem hominibus amicum animal eſſe probat *Sextus Empiricus* Adv. Mathemat. lib. 6. *Sopiuntur qui-*

dem, inquit, *infantes numeroſum audientes ſuſurrum: Et bruta demulcentur à Tibia & fiſtula, & Delphini, ut fertur, Tibiarum delectati modulatione, adnatant ad eos qui remigant in ſcaphis.* Hanc ob cauſam φίλαυλ@ δελφὶς, *Tibiæ amans Delphinus*, *Euripidi* Electr.

CAPUT XVIII.

De Tibiis *Mira quædam ab Antiquis tradita, naturali ratione explicata.*

AD mira referre & portentis proxima illa dicere licet, quæ credula & ſuperſtitioſa antiquitas pro veris effinxit poſteriſque obtrudit, quæ tamen, ita ſimpliciter ſumpta, nulla ſe probabilitate commendant. Nonnulla fuere quæ ad Tibiarum occultam vim retulerunt, quæ tamen vel pla-

planè fabuloſa crediderim ; vel ex Tibiis inflatis forſan occaſionem quidem habuiſſe, verùm eo modo, quem illi non inveſtigarunt, ne attigerunt quidem ; vel denique ex áliis cauſis, ipſis ignotis, explicanda eſſe.

Fabuloſis annumero, Cometam Tibiarum ſpecie viſam Tibicinibus & arti muſicæ malum portendere, quemadmodum creditum eſt referente *Plinio* Nat. Hiſt. lib. 2. cap. 25. Huic affinis alia erat ſuperſtitio Romanorum, qui crediderunt Lunæ Eclipſin patienti, ſubveniri poſſe æris & pelvium tinnitu, & cornuum ac Tubarum clangore, unde *æra auxiliaria Lunæ*, dixit *Tibullus*. Quam rem propius tangit *Juvenalis* Sat. 6. verſ. 439.

......Verborum tanta cadit vis;
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulſari. Jam nemo Tubas, nemo æra fatiget;

Una

Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.
Præterea refert *Ælianus* Var. Hiſt. lib. 13. cap. 21. ſi quis Celænis pelli Phrygis Tibia accineret Phrygiam harmoniam, pellem moveri: ſin Apollinis, quietam mutamque videri eſſe. Cæterum hic naturalis ratio ſubeſſe poterat, ſi conſideremus modum, quomodo ſonum, qui ad auditum propagatur, fieri commodè explicari poteſt; de quo conſtat 1. fieri quodam veluti in centro fluidi diviſionem ex duorum corporum colliſione. 2. à centro percuſſionis quaquaverſum diffundi ſenſim motum, quem explicant Philoſophi recentiores per motum undulationis conſpicuum in aquæ ſuperficie circa projectum in eam lapidem. Et probatur Experimentis tum chordarum, quæ ad ſimilium ſimiliter tenſarum colliſionem etiam ſonum edunt, tum vitri, quod ad vocem humanam primò totum tremit, deinde diſſilit, tum ſuperficiei aquæ itidem trementis ad ſonum. Unde

hoc

hoc ultimo experimento ſolvitur etiam illud quod de Tibiæ cantu prodidêre, nimirum in Heleſina regione fontem vocis dulcedine captum exſultare ad cantus Tibiæ. *Solinus* cap. 5. *In Heleſina regione fons aliàs tranquillus & quietus ſi ſiletur, ſi inſonant Tibiæ, exſultabundus ad cantus elevatur, & quaſi miretur vocis dulcedinem, ultra margines intumeſcit.* Verum hoc non magis mirum, quàm quod de fonte ſalſo in Baſilica, Regni Neapolitani provincia, ſcribit *Fulgoſus* lib. 1. cap. 6. ad quem ſi accedas aliquid locutus, turbatur, alioquin clarus. Nimirum cum certum ſit ſonum nihil eſſe præter propagationem motus tremuli in fluido, non inter portenta & naturali ratione carentia referendum eſt, *pellem ad Phrygiam harmoniam Tibia cantatam moveri*, quippe quæ ſatis vehementem in medio fluido percuſſionem efficere poterat, & ita facile motum, ſupra explicatum, à centro percuſſionis ad pel-

lem

lem uſque propellere; vel, *fontem, aliàs quietum, ſi inſonent Tibiæ, turbari & circa margines intumeſcere*, cum hunc vocis & ſoni vehementioris effectum ſatis ſciant ii, qui in vallibus, ubi moles nivium è montibus cadentium timentur, iter facere ſunt aſſueti. Nam ibi ne quidem loqui aut tuſſire audent, ne ſonus vocis nives commoveat.

Inter prodigia multa facta, antequam Ægyptus in provinciæ formam à Romanis redigeretur, memorat *Dio* lib. 51. quod arma in nubibus apparuerint, & ſonitus ab alia parte tympanorum, cymbalorum, *& Tibiarum ac tubarum voces.* [βοήματα αὐλῶν καὶ σαλπίγγων.] Verum quomodo hi ſonitus & ſimulacra alia, quæ inter prodigia ſolent numerari, nubium naturæ debentur, & quomodo abſque portento in cœlo apparere ac audiri poſſint, explicat *Carteſius* de Meteor. cap. 7. §. 17. Huc referendum aliud non à cœlo, ſed

ſed terra, petitum exemplum, quod ſuppeditat *Felix Faber* lib. 2. de Reb. Suev. qui refert fontes ac thermas in Germania reperiri in montibus & ſcopulis, quæ tanta talique ſonantium aquarum colliſione & murmure cadunt, ut qui illic valetudinem curaturi conveniunt, primo thermarum ingreſſu certum ſymphoniæ genus & inſtrumenta muſica ſe audire ſibi imaginentur, tamque aſſiduo fragore aures illis obtundantur, ut muſica initio ſuaviſſima, imaginatione diuturna in faſtidium & cruciatum abeat: ii verò qui tympanum ſibi aut ſonorum magis inſtrumentum imaginati ſunt, demum penè inſaniunt, ob moleſtiſſimum aſſidue obturbantem ſtrepitum.

Denique nonnulla Tibiarum vi adſcripſerunt antiqui, quæ tamen illis deberi vix crediderim, ſed ab alia cauſa, aliunde orta, hunc effectum fluxiſſe. Tale eſt quod de Nympharum inſulis in Lydia dictis memoratur, quas in me-

medium ſtagnum à continenti procedentes, cantu Tibiarum primò in circulum moveri, de hinc ad littora reverti, ipſius vetuſtatis perſuaſione compertum prodidit *Martian. Capella* lib. 9. Quas etiam Ludiano ritu ὀρχῦσας viſa eſſe teſtatur *Varro*. De iiſdem *Plinius* lib. 2. cap. 95. *Sunt &*, inquit, *in Nymphæo parvæ* (inſulæ) *ſaltuares* (*Cl. Salmaſius* Leg. *Saliares*) *quoniam in ſymphoniæ cantu adictum modulantium pedum moventur*. An hæc vera fuerit cauſa, ignorare cogor, ſaltem illas quaſi natantes, ad hunc motum aptas, dicit *Seneca* Nat. Quæſt. lib. 3. cap. 25. *Sunt enim multi pumicoſi & leves, ex quibus quæ conſtant Inſulæ, in Lydia natant.*

CA-

CAPUT XIX.

De Aſſa Tibia, *ejuſque cum aliis inſtrumentis conſonantia, ſymphonia.*

DE hoc multiplici Tibiarum apud Veteres uſu, quem jam ſuperiùs multis expoſuimus, animadvertendum eſt, eum non eodem ſemper modo adhibitum eſſe. Interdum ſola Tibia inſonuit, quod *Aſſam Tibiam* dixere, interdum eadem conjuncta fuit vel cum cantu ſolo, vel cum cithara, quod *Synaulia* erat, vel cum cantu & pluribus aliis inſtrumentis, quod *Symphonia.*

Melos in cantibus eſt bipartitum: unum quod eſt aſſa voce, alterum organicum. *Varro* de vita P. R. lib. 2. apud *Nonium*: *In conviviis pueri modeſtè ut cantillarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum aut aſſa voce*

voce aut cum Tibicine. Aſſam vocem quidam volunt à *Platone* μονῳδίαν dici lib. 6. de Leg. quippe, qui nullis admiſtis muſicis inſtrumentis ſola voce utebantur, aſſa voce canebant. Non ſolum autem vox mera veteribus dicebatur *aſſa*, quæ ſine Tibiis, ſed etiam *aſſæ Tibiæ*, quæ ſine voce canebant. *Feſtus: Aſſa Tibia, cantus eſt Tibiarum ſine voce.* Nec aliter *Servius: Aſſæ Tibiæ, quibus canitur ſine chori voce.* Huc referendum illud *Ennii* laudatum *Varroni* lib. 6. de L. L. *Apud Ennium, Subulo finitimas propter aſtabat aquas: Subulo dictus, quod ita dicunt Tibicines Tuſci.* Rectè prætendit *Scaliger* hic legi debere: *aſſabat.* quippe *aſſum*, ſolum, merum eſt, unde *aſſare* quoque veteres poëtæ dicebantur, cum in unum ſolum hominem poëma conderent. Aſſam Tibiam *Plutarchus* vocat ψιλὸν μέρος Sympoſ. 7. cap. 8. *Puto autem Marſyam illum à Deo caſtigatum, quia capiſtro & Tibiis cum os ſibi præcluſiſſet, auſus eſt aſſa Tibia* (ψιλῷ μέρει) *certare*

cum

cum cithara & voce. Inde etiam Græcis ψιλοκιθαρισταὶ dicuntur, cum tantùm κιθαρίζουσιν ut *Athenæo* lib. 12. Atque ea ἄφωνα κρέματα nominat *Pauſanias*, quæ erant ſine voce.

Conjuncta eſt autem non infrequenter Tibia cantu ſolo, quem ad Tibiam adhibitum jucundiorem multò judicat *Xenophon* in Sympoſ. ἡ ᾠδὴ ἡδίων πρὸς τὸν αὐλόν. Ita *Ariſtoteles* Probl. Sect. 19. quærit, cur ſolitarias cantilenas ſuavius audire ſolemus, ſi ad Tibiam, aut lyram unam cantatur, non verò ſi ad plures Tibias? Scilicet an quia evidentius rem aſſequimur, cum ad unam lyram vel Tibiam cantatur, ad plures verò ſuavitas ſervari non poſſit, cum cantilena offuſcetur, totaque penè deleatur? Cum alio aliquo inſtrumento conſonuit interdum Tibia, ſic apud *Horatium* Epod. 19.

Sonante miſtum Tibiis carmen lyra.

Synaulia *Athenæo* dicitur lib. 14. lyræ cantus conjunctus cum Tibia: *De conjunctione autem Tibiarum cum lyra,*

quia

quia ſæpe nos & ipſa utriuſque συναυλία *demulcet.* Scilicet ex *Ephippo* de Tibiarum & lyræ cantu muſico refert, cum probè concordant, voluptatem percipi maximam. Poſtea ex *Semo Delio* explicat *ſynauliam*, quod fuerit certamen concentus Tibiarum viciſſim, ac rhythmorum (ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ) abſque illius ſermone, qui voce Tibiæ modos æmularetur. Plura etiam inſtrumenta muſica cum *Synaulia* Tibiæ lyræque conjunxerunt. *Horatius* Carm. lib. 4. Od. 1.

Illic plurima naribus
Duces thura, lyræque & Berecynthiæ
Delectabere Tibiæ
Miſtis carminibus, non ſine fiſtula.

Theocritus Epigramm.

Λῇς ποτὶ τᾶν νυμφᾶν διδύμοις αὐλοῖσιν ἀεῖσαι
Ἁδύ τι μοι; κ' ἠγὼν πακτίδ' ἀειράμενος
Ἀρξεῦμαί τι κρέκειν· ὁ δὲ βούκολος ἄμμιγα θέλξει
Δάφνις, κηροδέτῳ πνεύματι μελπόμενος,

i. e.

Viſ-

Viſne, per nymphas, duplicibus tibiis cantare
Suave aliquid mihi? & ego pecti-nem ſumens
Incipiam aliquid ſonare: bubulcus autem ſimul oblectabit
Daphnis, cera compacto ſpiritu (i. e. fiſtula) *modulans.*

Eleganter Tibiæ pluriumque inſtrumentorum cum voce harmoniam conſonam deſcribit *Maximus Tyrius* Diſſert. 16. *Neſcio an audieris unquam multa ſimul inſtrumenta, Tibiæ ſonum, lyræ vocem, chori cantum, cumque his tubam ſimul fiſtulamque, & ſi quæ alia inſtrumentorum aut nomina aut genera ſunt, cum humanæ vocis concentu unà inter ſe miſceri. Quorum ſingula cum peculari fiant arte, tamen ita temperata ſunt cum ſingulis, communem ut efficiant Muſam.* Quod hic communem ex diſſonis Muſam vocat, alii *conſonantiam* dixere, vel etiam ſymphoniam Latini. *Macrobius* lib. 2. in Somn. Scip. cap. 1. *In quibus ita gra-*

gravitati acumina conſonabant, ut utrumque ad audientis ſonum ſtata dimenſione remearet, & ex variis impulſibus unum ſibi conſonans naſceretur. Ibidem ſymphonias quinque recenſet, quæ ad Muſicam pertinent, *quam vel flatus humanus intendere, vel capere poteſt humanus auditus.*

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De Tibicinibus.

NOn poſſum aſſentiri *Aldo* minori, qui inter Tubicines & Tibicines nihil differe aſſeruit. Quippe cum Tibia & Tuba diverſa inſtrumenta fuerint, ita etiam ſuum cuique artifici nomen dedêre. *Cicero* lib. 2. de Nat. Deor. *fides & Tibias eorum cauſa factas* monet, *qui illis uti poſſunt*. Itaque qui Tibiis utebatur, Græcis dicebatur ἀυλητὴς, & κεραύλης, ἀυλητεὶς, ex *Polluce* lib. 4. c. 9. tit. 6. *Seneca* Epiſt. 87. tibias, & reliqua inſtrumeuta ad *ſupellectilem* tantùm *artis* refert, nec *ad artem ipſam pertinere*, *ſed effectum artis*, poſſe enim artificem eſſe

ſine iſtis, dicit; Nihilominus tamen apud Latinos hujuſmodi artifices non ex diſciplina, ſed ex ipſis potius inſtrumentis, cœpere vocabula. Nam citharœdus ex cithara, vel Tibicen ex Tibia cæteriſque ſuorum inſtrumentorum vocabulis nuncupantur, quemadmodum inquit *Boëthius* de Muſic. lib. 1. cap. 34. Conſentit *Chariſius* Inſtit. Gramm. lib. 1. *Tibicen*, *Tibicinis*, *media longa ex Tibia.* Nec aliam nominis originem admittit *Iſidorus.* Orig. lib. 2. cap. 20. *Hinc & Tibicen, quaſi Tibiarum cantor.* Et *Varro* de L. L. Lib. 5. *Tibicines à canendo dicti.* Ideoque *Ovidio* Tibicines vocantur, *Turba canora*, Faſtor. lib. 4. Et Tibicinem exprimunt alii per hominem canere Tibiis doctum. Sic *Tacitus* Annal. lib. 14. *Deſtinatur reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere Tibiis doctus.* Quomodo autem ex duobus aliis, nempe, *Tibia*, &, *canere*, hoc *Tibicinis* nomen in unum coaluerit, fuſiùs explicant Grammatici Veteres. Ex *Priſciano* lib. 1. ſciendum

dum eſt, quod pleraque nomina, quæ cum verbis ſive participiis componuntur, nominativi mutent extremam ſyllabam in *i* correptam, ut arma armipotens, homo homicida, cornu corniger, ſtella ſtelliger &c. cornu cornicen, tuba tubicen, Tibia Tibicen, pro Tibiicen; *Tibia enim*, inquit, a *in* i *debuit mutare, unde pro duobus* ii *brevibus una longa facta eſt.* Sic ergo Tibia tibiicen faciebat, ex quo factum eſt Tibicen. Nec hoc ſolum: Sed etiam aliæ vocales ſolent ex duabus ſyllabis in unam longam tranſire, ut *Priſcianus* l. 4. Inde factum, quod *Tibicen* penultimam producat, contra naturam *cornicinis*, & aliorum. Id quod monet idem *Priſcianus* lib. 17. *Sed etiam duo in unum coëunt, ut Tibicen pro Tibiicen, unde & ſolum hoc ex ſimiliter compoſitis penultimam productam habet.*

Interdum aliter hic Tibicen exprimebatur. Ita non ſolum *Gingeriator*, vel *Gingriator*, Tibicen *Sexto Pompejo* de verb. ſignif. dicitur, ab eo genere Tibiæ quod alibi expoſuimus,

ſed etiam eidem, *Flator*, *Tibicen*. Unde *Arnobius* Adv. Gent. lib. 2. *Tuba, Tibia, calamoque Flatantes*, de Tibicinibus loquens. *Subulo* etiam Tuſcè tibicen dictus, ſi audiamus *Feſtum*. Cum quo idem ſentit *Varro* lib. 6. de L. L. *Subulo dictus, quod ita dicunt Tibicines Tuſci*. Non me latet *Tibicinis* nomen ſemper Tibiarum cantores non denotaſſe; ſed nonnunquam ad alios eadem tranſiit denominatio. Apud *Sextum Pompejum* in Fragmentis, *Tibicines* etiam hi appellantur, qui Sacerdotes viri ſpecioſi publicè ſacra faciunt turbarum luſtrandarum cauſa. Ex quo loco forſan explicari poſſet Antiqua illa, ſed mutila, inſcriptio, quæ *Sacerdotis Tibicinis Albii Verini* meminit, à *Grutero* è *Scaligeri* ſchedis allata pag. 30.

. . . . DOMVSQ. DIVI
NAE·COLON.CCP AE.CLAVD.AVG.LVGD.
TAVROBOLIVM. FECIT. Q. AQVIVS
ANTONIANVS. PONTIF. PERPETVVS
. . . .
EX. VATICINATIONE. PVSONI. IVLIANI
AR-

ARCHIGALLI. INCHOATVM. XI. KAL.
MAI. CONSVMMATVM. VIII. KAL. MAI.
L. EGGIO. MARVLLO. CN. PARINIO. AE
LIANO. COS. PRAEEVNTE. AELIO
CII. P . . . . . CNS. SACERDOTE. TIBICINE
ALBIO. VERINO.

Præterea etiam in ædificiis *Tibicines* appellantur *Feſto* de Verb. ſignif. à ſimilitudine Tibiis canentium, qui ut canentes ſuſtineant, ita illi ædificia. Unde *Urbem tenui tibicine fultam*, dicit Poeta, & eodem nomine Atlantem nuncupat *Arnobius*, quia cœlum attingere ferebatur & fulciri, adv. Gent. lib. 2. *Quando ſiderum motus*, inquit, *aut ratio cœpta eſt genethliaca ſciri? non poſt Teutatem Ægyptium, aut poſt Atlantem (ut quidam ferunt) geſtatorem, bajulum*, Tibicinem *illum ac deſtinam cœli.* Eandem ob cauſam Tibicines etiam ſunt textoria fulcra telam ſuſtinentia *Hadr. Junio*, imo & particulæ quibus verſuum hiatus replentur.

Sed ad Tibicines revertamur, qui

Tibiis canebant, & quorum omnis circa Tibias verſabatur ſcientia, adeo ut, ſi ex oliva etiam modulatè canentes Tibiæ naſcerentur, non dubitet *Tullius* lib 2. de Nat. Deor. quin eſſet in oliva Tibicinis quædam ſcientia. Inter artes enim antiquitùs numeratum eſt Tibiarum ſtudium, & Tibicines ipſi artifices dicti. *Cicero* lib. 3. de Nat. Deor. *Concedam non modo animantem & ſapientem eſſe mundum, ſed fidicinem etiam & Tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur.* Unde etiam publicè Collegium habuerunt Tibicines Romani, de quo *Valer. Maximus* lib. 2. cap. 5. *Tibicinum quoque Collegium ſolet in foro vulgi oculos in ſe convertere, cùm inter publicas privataſque ferias, actiones, perſonis tecto capite, variaque veſte velatis concentus edit.* Huc ſpectat antiqua Inſcriptio, *Smetio* viſa, apud *Gruterum* pag. 175.

COLLEGIO. TIBICINVM

ET. FIDICINVM. ROMANORVM

QVI.

QVI. S. P. P. S.

TI. IVLIVS. TYRANNVS

MVNIS. PERPETVVS. ET

VLIVS. TYRANNVS. F.

H. C. D. D.

DEDICATVM. K. MART.

RSO. SERVIANO. II. L. FABIO. IVSTO. COS.

Tale etiam erat Collegium Æneatorum, de quo alia exſtat Inſcriptio:

IMP. CAESARI

L. SEP. IMIO. SE

VERO. PIO. PER

TINA' I. AVG

ARAB. ADIAB. PART

MAX. PONT. MAX.

TRIB. POT. VIII. IMP.

XI. COS. BIS. P. P.

COLLEGIVM

AENEATOR.

De Collegio Liticinum & Cornicinum, nondum edita inſcriptio exſtat in marmore mihi Romæ viſo, cujus figuram exhibebo, ubi de Cornicine ſermo erit:

M. IVLIVS VICTOR EX COLLEGIO LITICINVM COR ICINVM.

Hoc Tibicinum Collegium credo Apulejum annotaſſe per *Tibicinium*, Florid. lib. 1. de Antigenide: *Is cum eſſet in Tibicinio apprimè nobilis*, &c. imo & Marſya: *Eo* (Hyagni) *genitus Marſyas, cum in artificio patriſſaret Tibicinii, Phryx cætera & Barbarus.* Sodales dicebantur qui ejuſdem erant Collegii. Collegia illa Romæ primum inſtituta à Rege Numà, ſi credimus *Plutarcho*, qui refert eum diviſiſſe multitudinem *ſecundum artificia, ut ſuum peculiare corpus haberent Tibicines, ſuum aurifices, architecti* &c. Porro *unicuique generi ſuos peculiares conventus & religiones præſcripſiſſe.* Quibus autem ita permiſſum erat corpus habere, collegii vel ſocietatis nomine, eorum proprium erat, ad exemplar Reipublicæ habere res communes, arcum communem, & actorem ſive Syndicum, per quem, tanquam in Republica, quod communiter agi & fieri oporteret, id ageretur, fieret,

fieret, &c. Quippe potuere manumittere, legatum capere, & leges ſibi ferre, dummodo ne quid ex publicis legibus corrumperetur, ut ex *Scævola* & *Paulo* annotat *Dempſterus* in Antiq. Romanis. Certè de tali Tibicinum *Procuratore* adducam elegantem ex *Grutero* Inſcriptionem, *Panvinio* debitam, pag. 41.

DIANAE
LVCINAE
INVICTAE
CN. POMPEIVS
CN: LIB. BAL
BVS. PROCVRAT
TIBICIN. ROM
VOTO. SVSCEPTO
L. M.

Non enim me moratur quod hic TVBIC. *Aldus* legat, cum non minus ſuum *Procuratorem* Tibicines habuiſſe extra controverſiam crediderim, ac reliqua hujuſmodi Collegia, de quibus idem proditum exſtat. Ita PROCVRATOR FABRORUM,

apud eundem *Gruterum* Inſcript. Pag. MDXV.

Tibicines diem feſtum anniverſarium publicè egerunt Idibus Juniis: quo die illos, qui ſacris præcinebant, per urbem vagari feriatos, & ad ædem Minervæ convenire ſolenne fuit, ipſasque Minuſculas Quinquatrus, quod diem quintum poſt Idus feriatum haberent, appellarunt. *Varro* lib. 5. de L. L. *Quinquatrus minuſculæ dictæ Juniæ Idus à ſimilitudine majorum: quod Tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* A qua ſententia non diverſus eſt *Feſtus Pompejus*: *Minuſculæ Quinquatrus*, inquit, *appellabantur idus Juniæ; quod is dies feſtus erat Tibicinum, qui Minervam colebant.* Hunc Tibicinum diem feſtum eodem modo deſcribit *Ovidius* Faſtor. lib. 6.

Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores:
Nunc ades ò cœptis flava Minerva meis.

Cur

Cur vagus incedit tota Tibicen in
urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid toga lon-
ga volunt?

Plutarchus Idibus Januarii feſtum Tibicinum diem aſſignat: Διὰ τί ταῖς Ἰανουαρίαις εἰδοῖς περιϊέναι δέδοται τοῖς αὐληταῖς τὴν πόλιν ἐσθῆτας γυναικείας φοροῦντας. Quem locum omnino ita emendandum cenſet *Carolus Neapolis* in *Ovidium*, Διὰ τί ταῖς Ἰουνίαις εἰδοῖς. In nemine enim reperiri tale quid celebratum menſe Januario. Cæterum *Hadrianus Junius* Comment. de Anno & Menſib. *Idibus Januarii* Tibicines feſtum diem agere multa laſcivia ac licentia, muliebri habitu per urbem graſſantes, ſcribit; ſed *Idibus Junii* Tibicines feriatos per urbem vagantes ad ædem Minervæ convenire. De poſteriori feſto addam ego adhuc teſtimonium *Cenſorini* de die Natali c. 12. *Non Tibicinibus, per quos Numina placantur, eſſet permiſſum, aut ludos publicè facere, ac veſci in Capitolio, aut Quinquatribus*

minuſculis, id eſt, Idibus Juniis, urbem veſtitu, quo vellent, perſonatis temulentiſque pervagari. Quippe Epulandi in publico decantandique jus etiam habuerunt Tibicines, quod, ipſis ab Appio Claudio Cœco ademptum, ut *S. Aurel. Victor* de Vir. Illuſtr. poſtea occaſionem dedit ut & iſta licentia redderetur, & anniverſarium feſtum atque publicæ privatæque feriæ ipſis concederentur. Rem illam omnem, ut geſta eſt, enarrat *Valer. Maximus* lib. 2. cap. 5. Quondam enim vetiti in æde Jovis, quod priſco more factitarunt, veſci, Tibur irati ſe contulerunt. Quorum miniſterio Senatus deſerta ſacra non æquo animo ferens, per Legatos à Tiburtinis petiit, ut eos Romanis Templis reſtituerent. Quos illi in propoſito perſeverantes, interpoſita feſtæ epulationis æmulatione, mero & ſomno ſopitos, plauſtris in Urbem devehendos curaverunt: Quibus & honor priſtinus reſtitutus, & hujuſce luſus jus eſt datum, nempe in foro vulgi oculos in ſe con-

convertere & perſonis tecto capite variaque veſte velatis concentus edere. Ex *Livio* lib. 9. cap. 30. eandem hiſtoriam ſuprà retulimus lib. 2. cap. 7. quam etiam fuſè perſequitur *Ovidius* Faſtor. lib. 7.

Temporibus veterum Tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis:
Cantabat mæſtis Tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor; tempuſque ſecutum eſt,
Quod ſubito gratæ frangeret artis opes.
Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices ſolos juſſerat eſſe decem.
Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt.
(Exilium quodam tempore Tibur erat)
Quæritur in ſcena cava Tibia, quæritur aris:

Et

Et mox:

Servus erat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure; ſed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille ſuo, turbamque canoram
Convocat: Ad feſtas convenit illa dapes.

Poſteà pergit *Ovidius*:

Alliciunt ſomnos tempus, motaſque, merumque.
Totaque ſe Tibur turba redire putant.
Jamque per Eſquilias Romanam intraverat Urbem,
Et manè in medio plauſtra fuere foro.
Claudius ut poſſet ſpecie numeroque Senatum
Fallere, perſonis imperat ora tegi;
Admiſcetque alios, & ut hunc Tibicina cœtum
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.

Sic

Sic reduces bene poſſe tegi, ne forte notentur
Contra collegæ juſſa rediſſe ſui.
Res placuit; cultuque novo licet Idibus uti,
Et canere ad veteres verba jocoſa modos.

Hic variant variorum Lectiones. Quidam legunt: *Callidus ut poſſet.* Alii; *Cautius ut poſſet.* Sed *Pighio* aſſentitur *Carolus Neapolis*, qui ſcribit: *Plautius ut poſſet.* Hic enim collega fuit Appii Claudii: quem magis veriſimile eſt operam dediſſe, ut Tibicines in integrum reſtituerentur, quàm Appium Claudium, qui illos non ſemel offenderat, quidpiam illis indulſiſſe.

Zeno Citteus, apud *Plutarchum*, adoleſcentes ad Tibicinum ſpectaculum accivit: ut diſcerent qualem cornua, calami, & ſi quæ alia proportionis & concentus conſortium habent, vocem emittant. In Græcia autem fuere celeberrimi hujus artis magiſtri, qui magna cum gloria floruere. Unde

apud

apud *Athenæum* lib. 14. ex *Polybio* lib. 30. exercitus Romani Imperator Lucius Anitius, debellatis Illyriis, & Rege cum liberis capto, atque Romam abducto, ludis victoriæ cauſa editis, quovis riſu digna multa feciſſe ac excogitaſſe dicitur. Nam accerſitis è Græcia clariſſimis artificibus, extructaque in circo maxima ſcena primos induxit Tibicines ſimul omnes, Theodorum Bœotium, Theopompum, Hermippum, Lyſimachum, in Græcia celeberrimos. Ex *Strabone* lib. 14. Magnates Viri illuſtres fuerunt Hegeſionax, Princeps ſtyli qui Aſianus dicitur, cum corrupiſſet receptam conſuetudinem Atticam: Tum Simon Tibicen, qui & ipſe vitiata priorum Lyricorum conſuetudine, *ſynodiam* introduxit. Ita etiam Pater Pindari Lyricorum Principis erat Scopelinus Tibicen, ſi credimus *Gyraldo* de Hiſt. Poët. Parem enim ſummis in aliis artibus viris gloriam aſſequuti ſunt Tibicines, quod ex Epigrammate Incerti Au-

Autoris conſtat, in Florileg. Epigr. lib. 3. cap. 8. ubi Telephanus quidam Tibicen, non minorem laudem Tibiis conſequutus eſſe dicitur, quàm Orpheus cithara, Neſtor linguæ ſuavis ſapientia, & compoſitione verborum Homerus. Quippe in Græcia ars Tibicinum utique magnæ laudi fuit, adeo ut Magiſtratibus Athenienſium, qui Reipublicæ præfuere numero decem, quinque in Pyræo, totidemque in Urbe, cura etiam Tibicinum immineret, quod refert *Alexand. ab Alexandro* Gen. Dier. lib. 3. c. 16. Ideoque in Epaminondæ virtutibus commemorabatur, eum ſcienter Tibiis cantaſſe. Cæterum non omnibus eadem honeſta atque turpia ſunt. Nam illa ars ad Romanam conſuetudinem levis erat & potius contemnenda. Sic *Corn. Tacitus* lib. 14. de Octavia Meſſalinæ filia loquens: *An quia*, ait, *veram progeniem penatibus Cæſarum datura ſit, malle Pop. R. Tibicinis Ægypti ſobolem imperatorio faſtigio induci?*

duci? Nempe propter Pompejum qui Tibicinis filius credebatur. Sane *Juvenalis* inter abjectiſſimæ plebis viliorem fæcem hujuſmodi homines reponit Sat. 3.

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.

An ſervi fuerint apud Romanos Tibicines non determinat *Pignorius* Comment. de Serv. ſaltem non dubitat, quin familiares & vernaculi fuerint, cum præſertim à grege domeſticorum, ut ait, Fiſtulator amanuenſis Graccho orationem habenti eburneolam fiſtulam inflaret, ad quam ille vocem & geſtum componeret. Cæterum quin ille ex Servorum ordine fuerit dubitari non poteſt, cum expreſſè *Servum* illum nominet *Cicero* lib. 3. de Orator. & οἰκέτην, *Plutarchus* de Cohib. Ira. Servos itaque apud Romanos Tibicines fuiſſe, liberè pronunciare licet, cum & idem ſuadeat Tibicen Nauticus,

ticus, qui δῦλος eſt *Demoſtheni* in Orat. de Corona. Et *Cicero* in Verrem, *Symphoniacos ſervos in claſſe* memorat. Inter mancipia & vilioris conditionis homines hujuſcemodi numerat *Capitolinus* in Vero: *Adduxerat ſecum & fidicines & Tibicines, hiſtriones, ſcurraſque, mimarios & præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate.* De Arabico Tibicine proverbium vetus olim increbuit, eum ad canendum obolo conduci, ſed ad tacendum tribus. Quippe non ita lauta re fuiſſe videntur, ex *Martiale* lib. 5. Epigr. 57.

Artes diſcere vult pecunioſas?
Fac diſcat citharœdus aut choraules.

Tibicines tamen inferiores fuiſſe citharœdis, author eſt *Cicero* pro Muræna: *Ut ajunt in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint.* Ab aliis, improbis moribus *hoc hominum genus* deſcribitur. Ita apud *Plutarchum* in Pericle, Antiſthenes audiens Il-

Iſmeniam eſſe Tibicinem optimum, *at nequam eſt*, ait, *non enim ſi probus eſſet, Tibicen eſſet.* Apud *Gellium* lib. 20. cap. 4. dives quidam Adoleſcens, Tauri Philoſophi diſcipulus, Comœdos, Tragœdos, & Tibicines in deliciis & delectamentis habebat. Id genus autem artifices Græcè appellantur οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται. Eum Adoleſcentem Taurus à ſodalitatibus convictuque hominum ſcenicorum abducere volens, miſit ei verba ex *Ariſtotelis* libro exſcripta, qui προβλήματα ἐγκύκλια inſcriptus eſt: juſſitque ut ea quotidie lectitaret, quæ Latio donata ita ſonant: *Cur genus id hominum, quos Dionyſiacos, id eſt, Bacchanales artifices appellamus, improbis eſſe moribus magna ex parte conſueverunt? An quia minimè ſeſe ſtudio ſapientiæ dedunt? eò ſcilicet quod in artibus neceſſariis magnam partem ætatis ſuæ conſumunt, vitam plurimùm traducunt incontinenter, partim etiam cum inopia, quod quidem utrumque vitia & gignit & auget.*

Nec

Nec honeſtiores apud Romanos Tibicinæ, quæ venales olim in conviviis, tanquam ad haſtam publicam, proponebantur: & qui majus pretium offerret, ſolus eis ex libidine fruebatur, quod ex *Athenæo* conſtat lib. 13. Et apud eundem lib. 14. Lyſimachus inquit: *At ego nuſquam apud me egreſſam vidi è tragica ſcena meretricem*, *innuens* τὴν αὐλητρίδα λαμίαν, *Lamiam Tibicinam*. Nonnulli *Ambubajas* Tibicinas Syriaca lingua putant dici. *Papias* in Onomaſtico: *Ambubajæ mulieres, Tibicinæ Syriacæ.* Erant Ambubajæ mulieres vagæ & viles, quibus nomen ab ebrietate verborum balbutientium inditum eſſe alii volunt. De illis *Horatius* lib. 1. Serm. Sat. 2.

Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mœſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigilli.

Suetonius in Nerone cap. 27. *Ambubajarumque*

jarumque miniſteria. Vocem hanc Hebraicam & Chaldaicam eſſe dicit doctiſſimus *Joſephus Scaliger*, Tibicinemque denotare.

De Tibicinibus alia hic tacebo, quæ in toto operis hujus contextu occurrunt. Hic ſolùm addam, morem antiquum Tibicinibus uſitatum, qui ingreſſi ſcenam oſcula jactabant, ori prius manu admota, deinde protenſa in eos quos adorabant, quod factum à Nerone innuit *Tacitus*, loquens de eo citharœdum agente lib. 16. Annal. *Poſtremo flexus genu, cœtum illum manu veneratus.* De Tibicine *Phædrus* lib. 5.

In plauſus conſurrectum eſt, jactat
baſia
Tibicen.....

Jactare baſia alii explicant, quaſi adorare populum, ex veteri Epigrammate:

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator
adorat,

Et *Juvenale*, apud quem Sat. 3.

A facie jactare manus,

idem

idem eſt quod adorare. In hujuſcemodi adoratione, ad populum facta, utrumque conjungit *Tacitus*, nempe, & protenſas manus, & oſcula jacta, Hiſtor. lib. 1. *Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula.*

CAPUT II.

Marſyæ Tibicinis *Fabula.*

A Marſya nonnulli Tibiam ajunt inventam, inter quos *Euſebius* de præparat. Euang. lib. 2. c. 4. ſed quo jure ipſum autorem Tibiæ clamitent, ſuo loco diximus. Nimirum à Minerva abjectas Tibias reperit, quibus ſuperbiens & nimium fidens arti ſuæ ad certamen Apollinem provocavit, ſed ſuperatus ſtultæ arrogantiæ pœnas dedit. De illo ita *Ovidius* Faſtor. lib. 6. ubi de Tibia loquitur:

Inventam Satyrus primum miratur: at uſum
Neſcit & inflatam ſenſit habere ſonum.

Et

Et modo dimittit digitos, modo concipit auras;
Jamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.
Provocat & Phœbum, Phœbo ſuperante pependit
Cæſa receſſerunt à cute membra ſua.

Quinam autem fuerit ille Marſyas variant inter ſe Autores. Quidam Hyagnidis, qui primus leges Muſicas ad laudes Deorum, quibus in ſolemnitatibus Græci uſi ſunt, accommodavit, filium fuiſſe volunt, ut *Apulejus* Florid. lib. 1. Cum quo paria prodidit *Nonnus* Dionyſ. lib. 10.

Μυγδόνος αὐλητῆρος οἴετο βάκχος ἀκούειν,
Ὃν τέκε θεῖος ὕαγνις, ὃς εἰς κακὸν ἤλασε Φοίβῳ
Τρητὸν ἐπιθλίβων διδυμόθροον αὐλὸν Ἀθήνης.

i. e.

Bacchus putabat ſe audire Tibicinem Mygdonium,

Quem

Quem genuit Hyagnis, qui in perniciem ſuam certavit cum Apolline,
Foralem duplici ſonitu Tibiam Minervæ inflans.

Hyagnidem alii natum Marſya contendunt. Oeagrum Marſyæ Patrem dicit *Hyginus.* Marſyam pro Olympi filio habere videtur *Strabo*, cui accedit *Apollodorus.* Cæterum Olympum diſcipulum Marſyæ tradit *Tzetzes* I. Chil. 15. Quò reſpexit *Ovidius* de Pont. lib. 3. El. 3.

In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.

Nimirum quia Olympus Marſyæ diſcipulus ferebatur, & *Ovidius* erat *præceptor amoris.* Quicquid demum de hoc ſit, illud conſtat, Marſyam quondam eſſe auſum

contraria Phœbo Carmina.

Quemadmodum *Statius* lib. 5. Sylv. El. 3. Scilicet provocavit Apollinem certaturum de cantibus, Mida Rege pro judice electo, ut *Fulgent.* lib. 3. Myth. Cæterum quia ſola Tibia uſus

paria cum Apollinis cithara, cum voce conjuncta, facere non potuit, inferior certamine deceſſit. Id quod innuit *Statius* Thebaid. lib. 1. verſ. 699.

Tu Phryga ſubmittis citharæ.

Victum etiam Marſyam confitetur *Juvenalis* Sat. 10.

Scire velim quare toties mihi Nævole triſtis
Occurras fronte obducta, ceu Marſya victus.

Præterea *Apulejus* Florid. lib. 1. aliud ſtultitiæ maximum ſpecimen de Marſya refert, qui priuſquam Tibias occiperet inflare, prius de ſe & Apolline deliramenta quædam barbarè effutivit: laudans ſeſe, quod eſſet & *coma relicinus & barba ſquallidus & pectore hirſutus & arte Tibicen & fortuna egenus*, contra Apollinem adverſis virtutibus culpabat. Ideoque prodidit *Diodorus Siculus* lib. 3. victorem Apollinem contentione nimium exacerbatum vivo pellem detraxiſſe, & deinde citharam Tibiaſque in antrum Bacchi intuliſſe.

Hi-

Hiſtoriam hujus certaminis & Marſyæ ſuperati referunt, *Philoſtratus* Junior in Iconibus, *Jo. Tzetzes* Hiſtor. Chil. 1. num. 15. *Nonnus* Dionyſ. lib. 1. *Archius* in Florileg. Epigr. lib. 3. cap. 8. Inter alios *Ovidius* Metamorph. lib. 6.

—— Satyri reminiſcitur alter,
Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit.
Ah piget: Ah non eſt clamabat Tibia tanti!
Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus.

Detracta autem pelle, è proximæ ac patulæ pini ramo excoriatus ſuſpenſus eſt, uti pœnam Marſyæ commemorat *Apollodorus* lib. 1. de Deor. Orig. Quò alludit *Statius* Thebaid. lib. 4. verſ. 186.

— Quis non certamina Phœbi
Noſſet, & illuſtres Satyro pendente Celænas.

E pelle autem Marſyæ utrem factum eſſe & in Celænarum civitate ſuſpen-

ſum, ſcri it *Herodotus* in Polymnia. Et idem indicat *Claudianus* in Eutrop. lib. 2.

Hic & Apollinea victus teſtudine paſtor
Suſpenſa memores illuſtrat pelle Celænas.

Quippe illud certamen commiſſum fuiſſe non procul à Celæne, Phrygiæ urbe [quæ antiquato priori nomine in Apamiam tranſiit à Seleuco Rege poſtmodum conſtitutam] juxta lacum in quo ad uſum Tibiarum optimi calami gignuntur, ſcriptum reliquit *Strabo* lib. 12. Sic *Solinus* de Celæne, cap. 40. *Iſtic Marſyas ortus, iſtic & ſepultus: Unde qui proximat fluvius, Marſyas dicitur: Nam ſacrilegi certaminis factum & audaces in Deum Tibias teſtatur non procul cum fonte vallis, quæ eventum geſtæ rei ſignat & ab Apamia decem millibus paſſuum ſeparata, Aulocrene uſque adhuc dicitur.* Idem ante ipſum tradidit *Plinius* lib. 5. cap. 29. Ex eo lacu dicuntur manare fontes Marſyæ flumi-

fluminis, cum *Ovidius* lib. 6. Metamorph. ſcribat Marſyam ab Apolline in fluvium mutatum nomen aquis dediſſe:

Inde petens rapidum ripis declivibus æquor,
Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Non aliud denotat *Naſonis* dirum in Ibin votum:

Nudaque direpta pateant tua viſcera pelle
Ut Phrygii, cujus nomina flumen habet.

Hic amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens, in Mæandrum cadit, teſte *Livio* lib. 38. *famaque ita tenet*, inquit, *Celænis Marſyam cum Apolline Tibiarum cantu certaſſe.* Ad rem *Lucanus* Pharſal. lib. 3.

Lugent damnatæ Phœbo victore Celænæ:
Qua celer erectis deſcendens Marſya ripis
Errantem Mæandron adit, miſtuſque refertur.

CAPUT III.

De Rebus quibus uſi Tibicines, *Anulo, Tibiarum & lingularum theca, atque Capiſtro.*

INſigne Tibicinum anulus ſeu gemma fuit. De Anulo nonnulli interpretantur *Suetonii* locum de ſymphoniacis Neronis: *Inſignes pinguiſſima coma & excellentiſſimo cultu pueri, nec ſine anulo lævis.* Quaſi dicat ex conſuetudine aliorum Muſicorum lævas anulis habuiſſe ornatas. Sanè de Gemma Tibicinum *Plinius* lib. 37. cap. 1. *Nec deinde*, inquit, *alia, quæ tradatur, magnopere gemmarum claritas exſtat apud Autores; Præterquam Iſmeniam Choraulem, multis fulgentibuſque uti ſolitum.* Iſmeniam illum anulo uſum eſſe non raro legimus, cujus opera callidè fucum fecit Perſarum oculis, ut Artaxerxem, ad quem Legatus miſſus erat,

erat, ſpecie tenus ſalva libertate adoraret. Cum enim Regis adeundi & colloquendi facultas aliter non daretur, quam ſi eum veneratur, Iſmenias ſtatim atque in conſpectum Regis venit anulum ſenſim digito detractum, clam & nemine animadvertente ad pedes abjecit: quem mox jacentem ſuſtulit: Eoque corporis geſtu, quaſi venerabundus procubuiſſet, viſus eſt patrio Perſarum mori inſtitutoque paruiſſe: Cum tamen nihil ſe indignum aut præter civium morem feciſſet, quemadmodum eam rem fuſius proſequitur *Ælianus* lib. 1. Var. Hiſt. cap. 21. *Plinius* loco ſupra allato tradit eundem Iſmeniam inſtituiſſe, ut omnes muſicæ artis hac quoque oſtentatione cenſerentur, *veluti Dionyſodorus*, inquit, *æqualis ejus & æmulus, ut ſic quoque par videretur. Tertius qui eodem tempore fuit inter Muſicos, Nicomachus, multas gemmas habuiſſe traditur, ſed nulla peritia electas: Sorte quadam his exemplis initio voluminis oblatis adverſus*

eos, qui ſibi hanc oſtentationem arrogant, ut palam ſit eos Tibicinum gloria *tumere.*

Habuere præterea Tibicines ciſtellam quandam ſeu vas ubi reponebant atque condebant Tibiarum lingulas, quod γλωττοκομεῖον ſeu *lingularum theca*, *Polluci* lib. 7. cap. 33. Eidem autem lib. 10. cap. 33. γλωττοκομεῖον eſt αὐλῶν θήκη, *Tibiarum theca.* Sed interdum etiam *Glottocomeium* de vaſe apud Neotericos inveniri monet. Quia autem pro Tibiarum theca inſerviebat, ab earundem lingulis denominatum eſt, ex *Polluce* ibidem. Etiam σιβύνην, *ſibenam*, vocari refert. *Heſychio* dicitur αὐλητηρία & σύριγξ αὐλοθήκη.

Inter res quibus uſi ſunt Tibicines, erat etiam φορβεία, ſeu capiſtrum ex pelle, quod ori circumligatum eſt. *Heſychius*, φορβεία ἡ αὐλητικὴ ἡ στομίς, *Tibicinum eſt capiſtrum vel oris integumentum. Suidæ* non φορβεία ſed φορβεῖον dicitur. Sumptum autem videtur à capiſtro, quo jumentorum ora includuntur, quippe quod fibula non erat, ſed vinculum ex pel-

pellibus, quo labra & os conſtringebantur, relicta rima per quam Tibiarum lingula ori poſſet immitti. Unde de Marſya, ubi cum Apolline certamen iniret, *Plutarchus* Sympoſ. 7. cap. 8. φορβειᾷ καὶ αὐλοῖς ἐπιστομίσας ἑαυτὸν, *capiſtro & Tibiis os ſibi præcludens.* Sed non ſemper hujuſcemodi capiſtra in uſu fuiſſe credere cogor, cùm in variis Tibicinibus qui in ſacrificiis conviviiſque Veterum & paſſim alibi inflatis buccis conſpiciuntur, non appareant. Unde ſuſpicari licet, illos tantùm ori circumligata hac pelle ceciniſſe in certaminibus muſicis, quemadmodum de Marſya *Plutarch.* ubi & majori arte & niſu opus, & debita proportione ſpiritus moderandus eſſet. Forſan & aliàs uſui fuiſſe non inficias ivero. Saltem hanc conjecturam in certaminibus confirmat *Ariſtophanes* in Veſpis:

Κᾂν αὐλητής γε δίκην νικᾷ, ταύτης ἡμῖν ἐπιχειρεῖ,
Ἐν φορβειᾷ τοῖσι δικασταῖς ἔξοδον ηὔλησ' ἀπιοῦσιν, i. e.

 Tum

Tum Tibicen, ſi victor litis abit, gra-
tes agit ipſis
Judicibus, & egreſſis canit ori
circum pelle ligata.

Hujus generis habenam, ambientem genas ad canentis robur, conſpici in effigie ſtatuæ æneæ pedem altæ, quæ duplicem Tibiam decenter perforatam inflat, refert *Tomaſinus* lib. de Donar. eamque è Cl. viri *Jacobi Gaffarelli* Muſeo ſibi à *Rhodio* communicatam. Ejus figuram exhibet *Fortunius Licetus* in Gemm. Annular. Antiq. Schemat. 32. quam è regione conſpiciendam damus.

Talis Tibicen, qui corio hoc, quod φορβεία ſeu φορβεῖον nominant, labiis circumpoſito inſtructus eſt, ἐμπεφορβιωμένος eſt apud *Ariſtophanem* in Avib. Atque in eum modum capiſtrati Marſyæ figuram ſubjicimus, quam ex veteri ſigillo doctos viros habuiſſe aſſerit *Salmaſius* Exercitat. Plinian. in Solin. parte ſecunda, quemadmodum verſâ paginâ ſequenti videri poteſt.

Ab αὐλητικῇ φορβειᾷ genus etiam ἐπιδέσμου

Me-



ИБ

P 6



Medici φορβείων dixêre, cujus duæ ſpecies, μονομερὴς & διμερής. Poſteriorem ita vocarunt quod non ſolum os, ſed etiam frontem comprehendebat vinculo. Cujus formam ex Libro *Sorani* περὶ ἐπιδέσμων etiam ſubjecit *Salmaſius*, qualem ego ipſe non ita pridem delineatam vidi in MS. vetuſtiſſimo *Sorani*, de variis obligandi modis, cum nuper Florentiæ in illuſtri Bibliotheca Medicéa ſedulò pervolverem admirandum illud Chirurgorum Antiquorum Opus, congeſtum à quodam *Niceta* Medico. In quo Volumine, eleganti & vetuſto caractere conſcripto, non pauca inveni, quæ curioſo animo ſatisfecerunt, ut aliquando forſan palam faciam. Habentur autem ibi multa antiquiſſimorum Medicorum opuſcula, & tractatus de partibus chirurgiæ, ut ſunt, præter *Hippocratis*, *Galeni*, *Oribaſii* & *Pauli Æginetæ* jam notos, *Heliodori* de fracturis & ligaturis capita varia nondum edita. Sunt & alii tractatus non contemnendi, uti, præter *Rufi Epheſii* & *Palladii* opuſ-

cula jam edita *Apollonii Citienſis* tract. de articulis ſive juncturis, capitum 36. *Soranus* de ſignis fracturæ, c. 23. Idem de variis obligandi modis, c. 59. cum ſuis figuris. Nam alia multa aliorum fragmenta prætereo. Bene precabor Viro Eruditiſſimo *Antonio Magliabechio*, Celeberrimo Magni Etruriæ Ducis Bibliothecario, qui gloria eſt non ſolùm Heſperiæ ſuæ, ſed & totius Eruditi Orbis, quem in ſui trahit ſtuporem, quòd mihi primus occaſionem dederit accuratiùs hoc Volumen pervolvendi, nam alia taceo, quæ ex vaſto Eruditionis omnigenæ penu, conatibus meis non parum profutura, largo flumine ſuppeditavit. Cæterum ego ad rem revertar, quia de φορβεία Chirurgorum alibi agendi locus erit.

Noxii etiam & damnati inter cætera ludibria capiſtrati frœnatique trahebantur, ut docet *Gronovius* lib. 2. Obſervat. cap. 22. Unde hoc ſenſu quidam nummum illum interpretantur



tur à *Schotto* exhibitum in notis ad Zenobianum, cujus hic Ectypum paginâ præcedenti ex *Giſberti Cuperi* Obſervat. lib. 1. c. 12. damus.

Cæterum nummum illum *M. Velſeri* meliore jure ex eo ritu explicari poſſe, quo cantores labia & faciem capiſtris conſtringebant, ne tumeſcerent, rectè prætendit idem *Cuperus*; adeoque non reum, ſed Satyrum repræſentare, quoniam reis capiſtrum ſeu funis ori inſeratur, & hic pellicula ſuprema & infima labia ambiat, relicto parvo ad inflandum foramine. Nam quod ait *Schottus*, hunc nec cornua nec barbam habere, quæ propria Satyrorum, nihil impedit, confitente *Cupero*, ſe vidiſſe in porticu Mazarini ſtatuam Satyri ſine cornibus, capillitio modico, manu ſiniſtra fiſtulam junctam tenentem, pelle ferina ornatam, quodque obſervandum, humanis pedibus.

Inſignem capiſtrati figuram cum Tibiis ori inſertis, ex Baſi triangulari in Capitolio hic exhibeo, quemadmodum



modum mihi ejus delineationem conceſſit Illuſtriſſimus Eques *Car. Anton. à Puteo*, ſingulari erga me omneſque alios humanitate præditus, ex inſigni illo Antiquitatis Theſauro, qui plurimis Voluminibus apud illum ſervatur. In hac figura, Leonina pellis Bacchanalia indicat, qua ornatus etiam cernitur Tibicen ille in Dionyſiaca ſaltatione in hortis Burgheſianis, & in Muſæo *Jo. Petr. Bellorii* Romæ tales Duos Tibicines vidi cum Leonina pelle, in Tabella figulina quadrata unum, alterum in baſi ænea tripodali, ubi varia alia cernuntur ad Bacchanalia ſpectantia. Uſus autem hujus capiſtri neutiquam fuit ut fœditatem oris tegeret, & hoc tumentes buccas abſconderent Tibicines, ne res oculis ingrata eſſet ut nonnulli autumant; ſed ne labrum ſcinderetur; quem finem adducit *Suidas*. Et quia magno niſu Tibiæ flatu implendæ erant, tali capiſtro opus habuere, quod genas ambiret ad canentis robur. Præterea immodicum ſpiritum coërcebat,

coërcebat, & attemperabat ut moderatus exiret, ſuavemque Tibiæ cantum efficeret. Ita vetus *Scholiaſtes* Ariſtoph. in Veſpis, φορβείας exponit δέρματα τὰ περὶ τὸ στόμα τῶν αὐλητῶν περισδεσμεόμενα, ὅπως ἂν σύμμετρον τὸ πνεῦμα πεμπόμενον ἡδεῖαν τὴν φωνὴν τοῦ αὐλοῦ ποιήσῃ. Cum hoc tamen alium illum uſum conjungit *Plutarchus* de Ira, ſcilicet ut inæqualitatem oris abſconderet, ubi de Marſya inquit: *Capiſtro quodam & integumento* (φορβειᾷ καὶ περιστομίοις) *circa os ſpiritum, qui rapidè & violenter perrumpebat, coërcuit & vultus inæqualitatem abſcondit.* Sed uſus primus ac præcipuus fuiſſe videtur, ut impetum ſpiritus exciperet & eum juſtè moderaretur. Unde qui immoderatè ſpiritu utebantur in Tibiis inflandis, eos ſine capiſtro flare Græci dicebant. *Sophocles*:

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ. i. e.

Non jam ille modicas ore inſpirat
Tibias,

Sed

*Sed ſine capiſtro enormibus flat folli-
bus.*

Quod *Sophoclis* dictum etiam apud *Dionyſ. Longinum* eſt cap. 2. Et idem uſurpat *Cicero* lib. 2. Attic. Epiſt. 16. ſed *lingulam* ibi male pro capiſtro vertunt nonnulli.

CAPUT IV.

De Veſtitu Tibicinum, *&* *Scabello.*

IN rem veſtiariam poſt abſolutiſſimas *Oct. Ferrarii* lucubrátiones inquirere velle, eſſet actum agere. Ideoque nec multis habitum Muſicorum & citharœdicum attingam, quem pluribus explicat in opere nunquam ſatis laudando *Ferrarius*. Paucis ſolùm ea adjungam, quæ Tibicinum veſtitum ſpectant. Uſos fuiſſe Tibicines veſte ad talos dimiſſa teſtatur *Tibullus* lib. 2. El. 8. de Tibicine Pythio:

Pythius in longa carmina veſte canit.

Quam

Quam veſtem de palla interpretatur *Ferrarius*, quæ proprie erat mulierum, ſed inde ad Muſicos tranſiit. *Ovidius* Amor. lib. 1. cap. 8.

> *Ipſe Deus Vatum palla ſpectabilis aurea*
> *Tractat inauratæ conſona fila lyræ.*

Non abſimile ejuſdem teſtimonium exſtat lib. 2. Metam.

> —*Calamis agreſtibus inſonat ille.*

Et mox:

> *Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla.*

Erat autem palla ex *Iſidoro* lib. 19. c. 25. quadrum pallium muliebris veſtis deductum uſque ad veſtigia, affixis in ordinem gemmis. Et palla dicta eſt, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, i. e. à mobilitate. De Choraulæ ſeu Tibicinis pallio luculentus eſt locus *Flavii Vopiſci* in Carino Imperatore: *Inſcriptum eſt adhuc in Choraulæ pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalæ nomen & uxoris.* Longam togam

Tibicini-

Tibicinibus attribuere videtur *Ovidius* lib. 6. Faſtor.

Cur vagus incedit tota Tibicen in urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid toga longa volunt?

Scilicet idibus Januariis, quo die, ex *Plutarcho*, ex aliis, Idibus Juniis, permiſſum erat Tibicinibus per urbem circumire, veſtem indutis muliebrem. Ideoque non parum ad rem noſtram facit *Horatius* de Art. Poët.

Sic priſcæ motumque & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita veſtem.

Quod plerique ita interpretantur, Tibicines talarem & longam veſtem geſtaſſe, ut gravitatem præ ſe ferrent, quemadmodum conſpiciuntur quatuor illi Tibicines qui coronati longas Tibias, ut in ſacrificiis moris erat, inflant in ſacrificio ſolemni, quod in marmore antiquiſſimo expreſſum eſt, cujus delineatio, *Caſalio* à Cl. Equite *Caſſiano* *à Pu-*


ИПБ

à Puteo transmiſſa, exſtat de Splend. Urb. Rom. part. 3. c. 1. Et ſimilis eſt ſtatua parva ænea duas Tibias inflans, in Muſéo Scipionis Cardinalis *Burgheſii*, cujus delineationem Illuſtriſſimo *Car. Anton. à Puteo* debeo, qualem paginâ antecedenti exhibeo.

Tunicam talarem exponit *Ferrarius* par. 2. de Re Veſt. quaſi ſit palla; ſed utramque diſtinguit, & ſeorſum nominat *Suetonius* in Caligul. cap. 54. *cum palla tunicaque talari proſiluit.* Talaris verò Tunica apud *Iſidorum* lib. 19. cap. 22. dicitur eò quod ad talos uſque deſcendat, & ad pedes defluat.

Antigenidem Thebanum Muſicum primum fimbriatam veſtem in comeſſationibus attuliſſe & calceis Mileſiis uſum fuiſſe refert *Suidas*. Tibicinum calceamenta *Pollux* κρουπέζια vocat lib. 10. c. 33. Dicta ſunt ἀπὸ τοῦ κρούειν, καὶ τῆς πέζας, à pedis plauſu & percuſſione. Quippe in Theatris qui pede pulpitum percutiebant, ut ab omnibus melius crepitus ille intelligeretur,

tur, ligneas ſoleas ſub pedibus habebant, interdum & ferreas, ut clarior eſſet ſonus. Factum id, ut cæteris ad canendum præirent & modum ſignumque canendi darent. Et talis in Veterum Choris Meſochorus dicebatur. *Plinius* lib. 2. Epiſt. 14. *Hoc infiniti clamores commoventur cum Meſochorus ſignum dedit.* Sic *Sidon. Apollinar.* lib. 1. cap. 2. *Nullus ibi Lyriſtes; choraules, meſochorus, tympaniſtria, pſaltria canit.* Unà cum Tibiarum incentione hoc ſignum calceolo ferreo vel ligneo datum eſt ſaltantibus Pantomimis, ut geſtum facilius moderarentur ad hunc ſtrepitum compoſitum, uti *Lucianus* in Ajace furente de Pantomimo ſaltante prodit. Non rarò autem hoc à Tibicinibus ipſis factum eſt, qui ad chorum ſimul flabant & terram pede plaudebant, quemadmodum fidem facit idem *Lucianus* de Laconicis choris & hujuſcemodi Tibicine: *καὶ ἀυλητὴς ἐν μέσῳ κάθηται, ἐπαυλῶν καὶ κτυπῶν τῷ ποδί.* Hujuſcemodi lignea

ſandalia Latinos appellaſſe Scabella, quod inſtar ſcabellorum eſſent & ex ligno fierent, pedibusque ſubjicerentur ut ſcabella, ſuſpicatur *Cl. Salmaſius.* Certè Scabella, vel Scabilla, non infrequenter apud Autores occurrunt. *Arnobius* lib. 7. *Etiamne Symphoniis? Quid efficiunt crepitus ſcabillorum?* Apertè hæc Scabella non aliter concrepare facit *Cicero*, quam illos qui Græcis οἱ ποδὶ κτυποῦντες, vocabantur. Ita enim ille pro Cœlio: *Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ. In quo cum clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* Manifeſtiùs ſcabillorum crepitum cum Tibiis conjungit *Suetonius* in Calig. cap. 54. *Deinde repente magno Tibiarum & ſcabillorum crepitu, cum palla tunicaque talari proſiluit & deſaltato cantico abiit.* Nihilominus quæ ſint ſcabella opud prædictos autores, quidve denotent, magna inter recentiores contentio eſt, in eorum explicatione propria occupatos. *Carolus*


rolus Langius legit *Scamilla*, & credit eſſe genus inſtrumenti muſici quod ore inflatur, cui ſubſcribit *Torrentius* ad Suetonium. Quibus forſan aliquid ſubſidii accedet ex Gloſſis *Iſidori: Scamellum ſymphoniaci*; quæ tamen ita exponit *Voſſius* in Etymol. quoniam unus ſymphoniacis modum dabat pulſu ſcamelli. Atque hujus lectionis non obſcura indicia prodit Inſcriptio Spoletina, ſi aliàs ad hoc forum pertinere illam verum ſit, apud *Gruterum* pag. 464. in qua: *Præf. Fabr. Romæ. Dec. 4. Scamillar. Operæ Veteres à Scena &c.* Ubi Decuria quarta ſcamillarium, vel ſcamillariorum, corpus aut collegium artificum ſignat, qui ſcamilla conficerent, ex mente *Val. Chimentellii* de Veter. Sellis cap. 29. ſed num de ſcamillis Muſicis, an ad ſedendum ſcandendumque compoſitis, Inſcriptio hæc accipienda ſit, dubitat. *Salmaſius* in Fl. Vopiſcum, ut modo diximus, cenſet revera antiquos habuiſſe ſcabella in eum uſum parata, quæ pedis

 pulſu

pulſu lignea ſolea vel ferrea ſonarent. Sed illum refellit *Rubenius* ex eodem *Statii interprete* quem ipſe allegat in hunc locum, *& ad inſpirata rotari Buxa*, qui exponit *inſpirata buxa*, Tibiam vel *ſcabellum*, *quod in ſacris pede ſonare conſueverunt*. Si enim vera ſcabella erant, quomodo erant inſpirata? In defenſionem autem *Salmaſii* & interpretis illius *Juvenalis*, quomodo per ſcabella, quæ Tibicines in ſacris *pede ſonare*, ut ait, conſueverunt, *inſpirata buxa* exponi poſſint, non video; niſi quod haud abſimili loquendi modo uſus ſit *Sidonius Apollinaris*, apud quem lib. 1. cap. 2. *Meſochorus*, qui in choris apud Veteres pedum ſupploſione ſignum canendi dedit, non minus *canere* dicitur, quam Lyriſtes, choraules, tympaniſtria, & pſaltria.

Veram Scabillorum formam videri putat *Rubenius* in ſtatua marmorea, quam de Re Veſtiar. lib. 2. cap. 17. exhibet, ex qua talem ſcabelli figuram adjungo.

Ad



3

Ad ictum horum ſcabellorum Tibiarum incentiones moderatæ ſunt & unà etiam alia inſtrumenta, ut eodem numero atque tempore omnia ſimul concinerent. Atque hæc mens fuit *Vopiſci* in Carino: *Item & centum Salpiſtas uno crepitu concinentes, & centum camptaulas, choraulas centum etiam, Pithaulas centum.* Ubi apparet tot ſimul Muſicos ad unum crepitum æqualiter concinuiſſe, qui quidem perpetuum quendam & certum numerum dedit, ſed in quo, ſine Tibiis, nullo modo diſtingui potuit connexio, nimirum ubi finis vel ubi initium, cum unus & idem ubique ſemper tenor eſſet. In quam rem illuſtris extat apud *Auguſtinum* locus lib. 4. de Muſica: *Quæro ex te*, inquit, *utrum poſſint copulati pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis appareat. Veluti cum Symphoniaci Scabilla & cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & his qui ſibi cum aurium voluptate*

luptate junguntur, ſed tenore perpetuo: Ita ut ſi Tibias non audias, nullo modo ibi notare poſſis, quouſque procurrat connexio pedum, & unde rurſum ad caput redeatur.

CAPUT V.

Tibiarum *Fabri & Confectores.*

A Tibicinibus diverſi videntur fuiſſe Tibiarum Fabri, & lingularum. Horum meminit *Pollux* lib. 7. c. 33. ubi de artibus operariis agit: αὐλοποιὸς, γλωττοποιὸς, αὐλοτρύπης, *Tibiarum confector, lingularum opifex, Tibiarum perforator.* Ex quibus totidem artes memorat: αὐλοποιΐα, γλωττοποιΐα. *Tibiæ confectio, lingularum opificium.* Talis fuit Theodorus ille, Iſocratis Rhetoris pater, de quo *Suidas: Iſocrates Theodori, Tibiarum fabri* [αὐλοποιοῦ] *Athehenienſis Orator.* Accedit etiam de eodem teſtimonium *Philoſtrati* in Vita Iſocratis: *Pater ipſi Theodorus fuit,*

quem vocabant Tibiarum fabrum [αὐλοποιόν.] Illum Theodorum ab hoc victum quæſiviſſe opificio, & alios etiam ſervos Tibiarum fabros habuiſſe, docet *Dionyſ. Halicarnaſſæus* de Antiquis Oratorib. in Iſocrate: *Patre autem fuit Theodoro, quodam mediocrium civium, ſervos Tibiarum fabros* [θεράποντας αὐλοποιοὺς] *poſſidente, & victum ab hoc habente opificio.* Artificium hoc non infimi ſubſellii nec pauci lucri fuit, ut ex eo conſtat, quod de Theodoro Tibiarum fabro fertur, illum, antea modicæ ſortis, tot ſervos habuiſſe Tibiarum fabros, ut exinde ſatis ſibi divitiarum comparaverit. *Plutarchus* in Vita Iſocratis: *Iſocrates Theodori quidem fuit filius Erechthienſis, mediocrium civium, ſervos Tibiarum fabros poſſidentis & divitis facti ab his, ut & choros duceret (choragus eſſet) & inſtituerit liberos.*

CAPUT VI.

De Tibiarum *à reliquis Inſtrumentis, quæ oris flatu animantur, differentia, & primò de Fiſtula atque Pandurio.*

ATque ita quæcunque de Tibiis, & rebus omnibus, quæ ad eam pertinere viſa ſunt, ex Veterum monumentis haurire licuit, apto ordine digeſta expoſui. Supereſt indice digito monſtrare in quibus differat Tibia hæc ab aliis reliquis inſtrumentis, quæ oris ſpiritu impleta in ſonum vocis animantur, ſuperiùs lib. I. cap. I. inter organa ἐμπνευστὰ vel ἐμπνεόμενα relatis. Pauca ſolùm ex multis delibare placet & ad partes vocare, ne in nimiam molem excreſcat hoc πάρεργον, quod ad majorem Tibiæ illuſtrationem promiſimus.

Initium dicendi dabit *Fiſtula*. In quibus apud Veteres illa à Tibia diverſa fuit, plenè & eleganter ſimul indicat atque ob oculos ponit *Achilles Tatius* de Clitoph. & Leucipp. Amor. lib. 8. ita Latio donatus: *Porro fiſtula hæc ſi ori eam quis admoveat, eadem prorſus quæ Palladis Tibia, refert: verùm hic digiti modos temperant, illic os manum imitatur: hic Tibicen foramina omnia, uno duntaxat excepto per quod ſpiritus exeat, obturat: illic fiſtulator arundines alias omnes liberas dimittens, uni tantum, quam quidem ſonum edere velit, os admovet, qua deinde omiſſa, ad aliam atque aliam prout ad ſuaviorem cantum edendum fieri par eſt, tranſilit; eoque pacto circum arundines labra illius identidem feruntur.* Aptè hic differentiam inter fiſtulam, quam Pan invenerat, & Tibiam Minervæ exprimit, ex modo ſive arte deſumptam, qua ex utraque ſonus elicitur. Tibia, cujus inventrix Pallas ferebatur; unica arundine conſtabat, ſed

ſed pluribus in locis perforata, ideoque opus fuit apto digitorum regimine, ut reliquis omnibus clauſis, per unum aliquod, pro libitu, foramen emiſſus, rediret inflatus ſpiritus. Sed in Fiſtula, quam plures arundines componebant, & omnes ſine ullo foramine, niſi quod ex ore ſpiritum exciperet, debuit idem efficere ea ſolùm arundine inflata, quam ſonum reddere poſtulavit ratio harmoniæ, mox aliis eodem modo oris ſpiritu impletis. Quod ſane ingens artificium arguit, veteres eadem celeritate atque dexteritate potuiſſe diſtantia tubulorum ora labiis percurrere & ſpiritu implere in fiſtula, ac in Tibiæ foramina digitis obturata levi eorum motu aperire vel claudere. Atque hoc qua ratione fecerint, ſibi haud ſatis conſtare fatetur *Scaliger* de Art. Poët. lib. 1. cap. 4. Nihilominus certum eſt fiſtulæ modulamen non alia lege conſtitiſſe, quam tali oris labiorumque per omnes arundines curſu atque recurſu, quem quàm promptè

exequuti ſint, teſtatur *Claudianus* in Epithal. Pall. & Celet. verſ. 34.

— Platano namque ille ſub alta
Fuſus inæquales cera texebat avenas,
Mænalioſque modos & paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, oriſque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.

Cæterum ut illa omnia melius intelligantur conſultum duco paucis repetere Fiſtulæ hujus materiam, formam, atque compactionis modum, & quæ alia ad rem noſtram dici merentur.

Fiſtulæ Latinis dictæ ſunt, quia fiſſi calami, vel *quod vocem emittant*, ut placet *Iſidoro* lib. 2. c. 20. Græci σύριγγα nominant à ſibilo, σύριγξ enim non *fiſtulam* ſolum ſed & *ſibilum* denotat, & συρίζειν ſeu συρίττειν *fiſtula canere & ſibilare.* Unde *Martiano Capellæ* lib. 19. *ſibilatrix enodis fiſtula.* Et in Gloſſis *Iſidori*, *Fiſtulator*, *Sibilo.* Quippe *ſibilus* ſeu

ſeu *ſibilum* proprie dictus eſt ſonus ille quem fiſtula inflata emittit. *Solinus* cap. 53. *Voce tam ſibila ut imitaretur modulos fiſtularum.* Rem apertè declarat *Calphurnius* Eclog. 10.

— Sed nec reſonare canorem
Fiſtula quem fuerat, nec vult contexere carmen.
Sed pro carminibus mala ſibila diſſona reddit.

Ovidius lib. 13. Metàm.

Senſerunt toti paſtoria ſibila montes.

Paſtoria ſibila, hoc eſt, ſonos quos paſtoritia fiſtula reddebat. Hinc & *Cicero* lib. 1. ad Attic. Epiſt. 12. *paſtoritiam fiſtulam* pro ſibilo poſuit, quemadmodum docti viri eum locum explicantes notarunt. *Ariſtophani* fiſtula dicitur, Σύριγξ καλαμίνη. *Polluci* lib. 4. Σύριγξ ἐκ καλάμων. Facta enim eſt è calamo concavo, quem *ſyringiam Theophraſtus* vocat. Et cum eo *Plinius* lib. 16. cap. 26. *Calamus vero alius*, inquit, *totus concavus, quem ſyringiam vocant, utiliſſimus fiſtulis, quoniam nihil eſt*

car-

cartilaginis aut carnis. Materia igitur maximè arundinea fuit, ut *Calphurnius* Eclog. 1.

Nec tibi deſuerit mea fiſtula: quam
mihi nuper
Matura docilis compegit harundine
Lydon.

Aut à cicutis petita, ſic idem *Calphurnius* Eclog. 4.

— *Levibus quem ſæpe cicutis*
Ludere conantem vetuiſti fronte paterna.

Cicutam verò *Servius* in Virgil. tradit eſſe internodia calamorum, cui non accedit *Scaliger.* *Sidonius* Car. 2. ad hanc fiſtulæ materiam alludit:

Alta cicuticines liquerunt Mænala
Panes.

Nec minus ad fiſtulam uſitatus fuit ſtipes avenaceus. Unde *Valer. Flaccus* lib. 4.

Cum ſubito Arcadio ſonuit cava fiſtula riſu.
Imperiumque Patris celerans Cyllenius ales

Ad-

Advenit: & leni modulatur carmen avena.

Fiſtula unius calami, Σύριγξ μονοκάλαμος, *Heſychio* ἴυγξ appellatur. Etenim ab initio ſingulares fuere tubuli, mox bini cohærentes. Qui numerus poſtremò crevit ad ſeptenos usque, magnitudine omnes inter ſe impares, ſed proportione certa. In ſummo quà inflabantur æquales erant, inæquales, ſed æqualiter, qua exit ſpiritus. Unde diſpares deſcribit *Ovidius* Metam. lib. 8.

Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.

Et Metam. lib. 2.

— *Diſpar ſeptenis fiſtula cannis.*

Ubi & numerum tubulorum indicat, in quo conſentit *Virgilius* Eclog. 2.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis

Fiſtula . . . . . .

Totum verò hujus connexionis modum, ſecundum æqualem exceſſum diſpoſitis calamis, & rationem concentus, qui ex illa proportione ſequebatur,

batur, omnibus aliis meliùs illuſtrat inſignis apud *Achillem Tatium* lib. 8. locus, quem ideo hic adjungam prout verba Interpretis Latini ſe habent: *Fiſtula pluribus è Tibiis compacta eſt: quæ ſingulis ex arundinibus conſtant. Atque arundines ipſæ omnes perinde ac Tibia una ſonum edunt: inter ſeque ita collocatæ ſunt, ut altera alteri ordinatim adhæreat. Facies anterior poſteriori ſimilis habetur. Quoniam autem harundinum aliam alia excedit, illud ſcire oportet, altero ex capite quantò primam ſecunda ſuperat, tantò ſecundam à tertia ſuperari, cæteraſque deinceps proportionem eandem ſequi. Ex altero autem capite æquales illas inter ſe omnes eſſe: quæ omnium media eſt, ea longiore dimidio minor eſt. Eo autem ordine diſpoſitæ arundines fuerunt, ut æqualis effici concentus poſſet. Nam cum acutiſſimus ſonus in ſublime admodum feratur, gratiſſimus autem contra deprimatur, amboque extremas arundines, alter alteram ſcilicet,*

cet, ſortiti ſint, interjacentes alias, quæ vocum intervalla moderarentur, conſtitui neceſſe fuit. Illæ enim ſonos impares, ſed tamen pro rata portione diſtinctos nactæ, acutaque cum gravibus temperantes, in cauſa ſunt ut extremæ inter ſe congruant ſic, ut æqualis demum concentus efficiatur. In fiſtula deſcribenda incipit ille à minimis calamis, & procedit ad majores. Alii à majoribus progrediuntur ad minimos, ut *Tibullus* lib. 2. El. 5.

Fiſtula cui ſemper decreſcit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur uſque minor.

In hunc modum avenas *ſtruere* dicit *Ovidius* lib. 1. Metam. verſ. 676. de paſtore, qui

— *Structis cantat avenis.*

In illa fiſtulæ ſtructura cohærebant bini vel plures calami juncti cera. Linum vel ſetas quoque in hunc uſum addit *Scaliger* in Art. Poët. De cera non pauci conſentiunt Autores. *Virgilius* Eclog. 3.

Aut

— *Aut unquam tibi fiſtula cera*
Juncta fuit.

Apud *Æſchylum* Prometh. Vinct. κηρόπλαστος δόναξ *fiſtula cerea.* Quippe in qua calamos expreſſè vinculo ceræ junctos decantat *Calphurnius* Eclog.4.

— *Calamos & odore vincula ceræ*
Jungere......

Nec aliter Eclog. 8.


Tu calamos aptare labris, conjungere cera.

Idem Eclog. 10.

Nulli fas eſt inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cera conjungo ſub antris.

Ita enim plures voces reddidit fiſtula ex pluribus cannis compacta, qualis illa alba cera conjuncta, apud *Theocritum*, novem vocum, Idyll.8. σύριγξ ἐννεάφωνος. Quippe totidem cannas etiam Fiſtulam nonnunquam habuiſſe obſervo, uti illa eſt Romæ mihi viſa in Tabula parva figulina, quam in Muſéo ſuo ſervat *Jo. Petr. Bellorius*, & hîc exhibeo.


Cum



Cum undecim calamis, quorum ſex inæquales & reliqui æquales, Fiſtula conſpicitur in ædibus Farneſianis Romæ, cujus mihi indicium dedit *Franciſcus Nazarius.*

Fiſtula ſeptem cannis compacta viſitur in aræ Cybelis latere dextro, quam ex ædicula Sancti Michaelis Romæ in Vaticano exhibet *Gruterus* Inſcript. pag. 27. tali ſchemate, ac verſâ paginâ occurrit.

Si-



Similis eſt fiſtula quæ cum crotalo & duabus Tibiis conſpicitur Romæ in Cippo, Via Aurelia in ſuburbio, unà cum inſcriptione nondum edita, cujus indicium debeo Eruditiſſimo amico *Raphaeli Fabretto.* Ex inſcriptione illa ſequentia ſolùm legi poſſunt.

DIIS. SANCTIS
MATRI. DEVM. MAG
NAE IDI.. DEO ATTI
MENO..... VSVC
....

In-

Inventionem Fiſtulæ Mercurio tribuit *Apollodorus* de Deor. Orig. lib. 3. Alii Fauno ſive Pani adſcribunt. Quidam ab Idi paſtore inventionis originem deducunt, ſi conſulamus *Iſidorum* Orig. lib. 2. cap. 20. *Fiſtulam*, inquit, *quidam putant à Mercurio inventam: alii à Fauno, quem Græci vocant Pana. Nonnulli eam ab Idi paſtore Agrigentino ex Sicilia.* Ideo Fauno ſuſpenſa, apud *Calphurnium* Eclog. 8.

Jam mea ruricolæ dependet fiſtula Fauno.

Atque *Tibull.* lib. 2. El. 5.

Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſylveſtri fiſtula ſacra Deo.

Ejus primus inventor Pan apud *Virgil.* Bucol. Eclog. 2.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit: Pan curat oves oviumque magiſtros.

Unde paſtoribus illa maximè fuit in uſu,

uſu, & *fiſtula nota jumentis*, apud *Sil. Ital.* lib. 2. quia Pan Paſtoralis Deus. *Propertius* lib. 4. Eclog. 4.

Sylvani ramoſa domus; quo dulcis ab æſtu
Fiſtula poturas ire jubebat oves.

Horatius Carm. lib. 4. od. 12.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina fiſtula,
Delectantque Deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiæ placent.

Junius Philargyrus in Bucolica Virgilii, per Pana naturam rerum omnium intelligit, & per Panis, paſtoralis Dei, cornu, Solem ſignificari & Lunam: per fiſtulam, ſeptem planetas ſtellas: per pellem maculoſam, cœli ſydera: per cannam, ventos &c. Cæterum ex fabuloſis Paganorum traditionibus Pani Deo inventio fiſtulæ aſſignatur, nec, quam inventioni huic occaſionem fingunt, ignoro, ab *Achille Tatio*, præter alios, edoctus, quo teſte, lib. 8. de Clitoph. & Leucip. Amor. *fuit quondam tempus, cum fiſtula hæc neque Tibia neque*

neque arundo erat, ſed virgo formoſa, quæ cum ſui amore captum Pana Deum fugeret, denſiſſimam in ſylvam ſeſe recepit. Pan verò conſecutus puellæ manum injecit: cumque capillis comprehenſam illam tenere ſe arbitraretur, arundinum frondes pro coma apprehendiſſe comperit, quas puellæ loco è terra enatas ajunt. Has igitur, utpote quæ amicam ſibi ſuam eripuiſſent, iræ impotentia devictus, ſuccidit. Verum puella, quam ſub arundinibus latere putabat, minimè inventa, facti conſcientia commotus, quod amicam letho ſe dediſſe crederet, ingemuit, diſſectáſque arundines, tanquam virginis membra eſſent, colligens atque in unum componens, manibus continere atque ori admovere perrexit. Ita dum amatoriè lamentatur, ipſiſque arundinum ſectionibus, quaſi puellæ vulneribus, ſuſpirans oſcula infert, ſpiritus calamos intravit, perque anguſtias eorum remeans ſonum edidit. Syringam Nympham illam, Ladonis fluvii filiam, vocatam,

vocatam, refert *Ovidius*, qui Metamorph. lib. 1. verſ. 690. & ſeq. exponit quomodo illa, ardenter à Pane Deo amata, ne virginitatem amitteret, in arundinem fuerit commutata, additque de Pane:

Panaque, cum prenſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphæ calamos tenuiſſe paluſtres:
Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilemque querenti:
Arte nova vociſque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi conſilium tecum dixiſſe manebit:
Atque ita diſparibus calamis compagine ceræ
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellæ.

Fabulam illam repræſentare ſuſpicor figuram, quam ex Thermis Veſpaſiani adducit *Boiſſardus*, & ego hîc ſubjicio, niſi



niſi quod artifex non ſatis aptè aſſidentem ſculpſerit, cùm loco fiſtulæ pluribus calamis compactæ, ſimplicem tubam affinxerit.

Præterea quia Pan ejus inventor ferebatur, fiſtulam ejuſmodi, quæ plures calamos junctos & ordine decreſcentes habuit, poſtea nonnulli *pandorium* vel *panduram* nuncuparunt, quemadmodum *Iſidorus: Pandorium ab inventore vocatum, de quo Virgilius: Pan primus calamos cera conjungere plures inſtituit. Fuit enim apud gentiles Deus paſtoralis, qui primus diſpares calamos ad cantum aptavit, & ſtudioſa arte compoſuit.* Cæterum pandorium vel panduram aliter veteres accepere autores, aliter recentiores, bene ita monente *Cl. Salmaſio* in Aug. Rom. Script. Quippe veteres *trichordum* appellarunt, ut *Pollux* & *Heſychius*: Recentiores, ut *Iſidorus* atque *Caſſiodorus*, inter ἐμπνευστὰ organa recenſuerunt. Et ſic *pandorium* vel *panduram* vocare cœperunt, quæ ſeptem diſcrimina vocum totidem calamis

lamis edidit, *fiſtulam* verò, quæ una tantum arundine conſtitit. Hoc diſcrimen probat *Salmaſius* teſtimonio *Martiani Capellæ: quidam agreſtes canori ſemidei, quorum Hircipedem pandura, Sylvanum arundinis enodis fiſtula ſibilatrix, rureſtris Faunum Tibia decuerunt.* Cui & addam aliud ex eodem autore petitum lib. 9. *Tibiæ per Tritonidem noſtri comitem & Marſyam Lydum ſonuerunt, calamos Maryandini & Aones in laudes inflavere cœleſtium, Panduram Ægyptios attentare permiſi.* Hic *Anton. Delrio* legit, *pandorium*, ex *Iſidoro.* Qui hujuſmodi organo cecinit, *pandurizare* dictus eſt Latinis. Quod uſurpat *Ælius Lampridius* in Heliogabalo. Græcis πανδούριον, πανδοῦρα, & πάνδορος appellatur. πανδούρια *Heſychius* interpretatur & *pſalterium* & κιθάρα. E lauro, quæ ad mare naſcitur, factum deſcribit *Euſtathius*, id quod ſumpſiſſe videtur ab *Athenæo* lib. 3.

CAPUT VII.

De Tuba; Concha, Buccina, Cornu, Lituo, Tibia utriculari, & Pithaulica, organo, atque hydraule. Eorumque omnium & Tibiæ diſcrimine.

NOn pauci ſine ullo diſcrimine de Tuba, Tibia, buccina, &c. dixere, quas tamen omnes reapſe diſtinctas apud Veteres fuiſſe conſtat. Ut diverſa organa illa tractat *Apulejus* lib. 3. Florid. *Siquidem*, inquit, *vox hominis, & tuba rudiore torvior, & Tibia queſtu delectabilior, & fiſtula ſuſurro jucundior, & buccina ſignificatu longinquior.* Omnis illa differentia olim inter Tibiam atque Tubam, clariùs patebit, ubi Tubarum formas & ſpecies apud Veteres obſervatas indicavero breviſſimè. Diverſa illa fuit à Tibia non ſolùm

ſolùm quà nominis, ſed etiam inventionis originem, imo & quà formam, materiam, atque uſum.

Tubæ nominis ortum à *tubo* ſive canali, quem referebat, deduxit *Varro* lib. 4. Pro tuba *ſalpiſtas* nonnulli dixêre, nam & *Rhodiginus* lib. 16. cap. 19. genera Tubarum Salpiſtica vocari docet. Atque *Turnebus* Adverſ. lib. 28. cap. 6. ex Lexico veteri, *Salpiſta, Tubicen* interpretatur. Fuerunt autem Tubæ in ſumma parte amplæ & concavæ, in infima verò arctæ. Pars illa latior Tubæ κώδων dicta eſt Græcis, uti *Suidæ*. In quam formam laminæ ad Tubas ductæ atque effictæ ſint, abunde docet *Joſephus* lib. 3. Antiquit. cap. 11. de Moyſe: *Reperit etiam formam buccinæ ex argento factæ: eſt autem talis, longitudinem quidem habet paulo minus cubitalem, craſſitudine autem eſt Tibiæ paulo craſſior; cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum ſufficeret: deſinebat in extremitate campanulæ ſimilis; quemadmodum tuba,*

quæ Aſoſra *vocatur apud Hebræos.* Ex quibus *Joſephi* verbis *Scacchius* Myroth. 3. cap. 55. ſtatuit Tubam Hebræorum ejuſdem omnino formæ fuiſſe cum Tuba Romanorum, quam ex lapidibus & nummis talem tradit, qualis hic videri poteſt.

Tubæ formam rectam ab incurvo cornu diſtinxit *Ovidius*:

Non Tuba directi, non æris cornua
flexi.

Pari mente *Juvenalis* Sat. 2. verſ. 117.

Cornicini, ſive hic recto cantaverit
ære.

Aliter tamen de eadem *Lucanus* lib. 1.

—Batavoſque truces, quos ære
recurvo
Stridentes acuere tubæ.

Quippe Tuba plerumque ex ære fuit. *Virgilius* Æn. lib. 9.

At tuba terribilem ſonitum procul ære
canoro
Increpuit ......

Ex oſſibus etiam ſimul junctis atque conglutinatis tubam quondam formatam



tam eſſe cenſet *Paſſeratius* in *Propert.* lib. 4. El. 3.

Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.

Quem reprehendit *Fortun. Scacchius* in Myroth. 3. quaſi inter tubam & Tibiam non diſtinxerit, qui antiquitus fieri ſolitas tubas ex oſſibus putat. Quod quidem de Tibia verum eſſe admittit *Scacchius* præeunte *Plutarcho*, ſed ad tubam oſſa minus accommodata fuiſſe. Poëtam igitur tubam oſſeam dixiſſe, propter oſſeam ligulam, quam tubæ ait admotam ad ſonum edendum, de qua ſic loquitur: *Ligulæ circa medium partes conſtringuntur ac colligantur, & à tubicine ad ſonum edendum ſic aſtrictæ intra os recipiuntur.* Utrumque ſanè concurrere ad Tubam aſſerit *Artemidorus* lib. 1. c. 58. Σύγκειται γὰρ (ἡ σάλπιγξ) ἐξ ὀστέου καὶ χαλκοῦ. *Compoſita eſt enim tuba ex oſſe & ære.*

De Tuba agit *Jul. Pollux* Onom. lib. 4. cap. 11. & ejuſdem diſcrimina varia annotat *Euſtathius* in Iliad. Ξ.

cujus ſex genera facit: Primam, quam Minerva invenit, quæ etiam Argivis colitur hoc cognomento, Σάλπιγξ Ἀθηνᾶ. Alteram apud Ægyptios, quam Oſiris reperit, utunturque ad ſacrificia; Tertiam Gallicam, haud nimis magnam, quæ os habeat deformatum in beſtias, & canalem ipſum plumbeum, in quem inſpirant Tubicines: atque eam eſſe acuti ſoni, vocari autem ab ipſis Gallis, *Carnyx*; Quartam Paphlagonicam, gravi mugitu ſurſum inflandam, cujus os effigiem habet bovis; Quintam Medicam, è calamo Tubum habentem, gravi ſono; Sextam Tyrrhenicam, cujus inventores Tyrrheni, quæ ſimilis Tibiæ Phrygiæ, habens orificium ſciſſum & fractum. Illa forſan Tuba eſt, cujus inventionem Piſeo Tyrrheno tribuit *Plinius* lib. 6. cap. 56.

Tuba Tyrrhenum melos dicitur apud *Hyginum* Fab. 274. quia Tyrrhenus Herculis filius eam invenit, qui concha pertuſa buccinavit. Priſcos e-

nim ante inventam tubam concha uſos eſſe extra controverſiam eſt, quemadmodum etiam ad *Lycophronem* notavit *Meurſius*. Sic *Apulejus* lib. 4. Metam. *Jam paſſim maria perſultantes Tritonum catervæ; hic concha ſonaci leniter buccinat.* Quippe Tritoni, ut Deo Marino & Neptuni Buccinatori, tuba attributa eſt à Veteribus, ex concha, id eſt, cochlea marina, quæ tortilis creſcit ab anguſta parte, qua inflatur, turbinatim & in amplum deſinit. Eleganter hæc perſequitur *Ovidius* lib. 1. Metam. verſ. 333.

Cæruleum Tritona vocat conchaque ſonaci
Inſpirare jubet: fluctuſque & flumina ſigno
Jam revocare dato. Cava buccina ſumitur illi
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo.

Quem locum ex opinione veterum interpretandum cenſet *Turnebus* lib. 2. Adv. cap. 21. credentium Tritonem, Neptu-

Neptuni Buccinatorem, canoro immanique clamore aquas increpare, & tanquam auritas vocare, quæ ejus imperio conſueverint parere. Idem etiam de Miſeno *Virgil.* Æn. lib. 6. verſ. 171. qui cava

— *perſonat æquora concha.*

De hac maris concha *Nonnus* Dionyſ. lib. 17. & *Silius Italicus* lib. 14.

Nec mora terrificis ſævæ ſtridoribus æris
Per vacuum latè cantu reſonante profundum
Incubuere tubæ, queis excitus æquore Triton,
Expavit torvæ certantia murmura conchæ.

Hinc originem fluxiſſe credo, cur Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſuerint, referente *Macrobio* lib. 1. Saturn. cap. 8. Et ex hac concha, quæ pro Buccina Tritoni aſſignata eſt, aptè explico quare Venus, quæ apud *Claudianum* Tritone marino Deo per altum vehi dicitur, aliis inducatur,

quaſi concha vecta, quemadmodum apud *Tibullum* lib. 3. El. 3.

Et faveas concha Cypria vecta tua.

Forſan talis tuba vel buccina marina eſt, quam exprimunt Numiſmata Bruttiorum adducta à *Goltzio* in Græcia magna Tab. 24. Quæ paulo aliter videtur in Numiſm. Valentiæ apud eundem Tab. 35.

Fuit ergo buccinæ talis uſus ante tubam, & primus Tyrrhenus Herculis filius, apud *Hyginum*, concha pertuſa buccinavit, & pagum convocavit, teſtatuſque eſt, ita fatente *Hygino*, ſe mortuum ſepulturæ dare. Quod exemplum Romanos ſervare tradit, Fab. 324. ut cum aliquis decedit, Tubicines cantent & amici convocentur, teſtandi gratia eum neque veneno neque ferro periiſſe. Ideoque frequens ejus uſus fuit

Luctificum clangente Tuba,

apud *Val. Flaccum* lib. 3. Quæ neque minus conſuevit

inter ſacra ſonare,

ex

ex *Calphurn.* Ecl. 1. Unde *Suidæ*: Σάλπιγξ ἱερατικὸν ὄργανον, *Tuba ſacrum inſtrumentum*, nam ſacerdotes ea uſi ſunt. Poſſem alios multos apud Veteres Tubæ uſus recenſere, ſi id jam agerem, quorum nonnullos ſibi peculiares habuit, quoſdam cum Tibia communes. In Triumphis cantabatur fera

— — *nil niſi pompa Tuba*,

ſi credimus *Ovidio* lib. 1. Faſtor. Illa eadem apud *Virgil.* Æn. 5.

Commiſſos medio canit aggere ludòs.

Quare *terminalis tuba Apuiejo* lib. 10. quæ primitias & ludicra certaminum finiret & terminaret, & *Floralis Tuba*, *Juvenali*, qua Floralibus uſi ſunt. In bello claſſicum tuba cantatum quis ignorat? quæ bellicum quondam cecinit in legionibus Romanis, ex *Fabio* lib. 2. cap. 18. aliiſque. *Vegetius* lib. 2. cap. 22. *Quoties pugnatur & Tubicines & Cornicines ſimul canunt.* Cuique turmæ ac manipulo ſuos fuiſſe Tibicines patet ex *Salluſtio*, qui de Mario:

Cohor-

Cohortium, turmarum, Legionum Tubicines ſimul omnes canere jubet. Illud idem clarè ſatis deprehendo in Inſcriptione *Gruteriana* pag. 544.

DIIS. MANIBVS
SACRVM
VLPIAE. PYRALLIDI
CONIVGI. ET
SIBI
HILARVS. AVG. LIB
TVBIC. LEG. V.
ALAVD. P. FEL.
VIVVS. FECIT.

Sed & alia, non minus elegans, nec à *Grutero* notata, Inſcriptio exſtat in hortis Quirinalibus, quam mecum communicavit, in Antiquitatis ruderibus inveſtigandis diligentiſſimus, *Raphaël Fabrettus*:

D. M.
P. AELIVS. AVITVS
TRAIANOPOLI
TVBICEN. EQ. SING. AVG
TVRM. AELI. LVCANI
NATIONE. THRAX

V. A.

V. A. XXXV. MIL. A. XV.
P. AELIVS. AVRELIVS
HER. ET. IVLIVS. MAXIMVS
ſic
DECVRIO. SECVS. HER. OPTIMO
AMICO. FACIEND. CVRAVER.

Buccina etiam bello ſignum datum eſſe conſtat ex *Curtio* lib. 3. cap. 3. & *Virgilio* Æn. 6.

— *Bello dat ſignum rauca cruentum*
Buccina ......

Sic etiam *Claudianus* de bello Gildonico verſ. 447.

Excitet inceſtos turmalis buccina ſomnos.

Quod illuſtrat in Tabella marmorea Inſcriptio apud *Gruterum* pag. 559.

C. SALLIO. MATERNO. BVCCINATORI. LEG. V ALAVDAE. C. SALLIO. ARCINIO. CAESAR. N̄. TVBIC. C. SALLIO SVESSALA. N̄. PRIMIONI. CORNICVLAR. LEG. III. AVG. C. SALLIO. CAPONIO. CORNIC. OLL. IIII. SALLIA. FORTVNAT. PARENT. INFELICISS. FEC.

Vide

Vide *Lipſium* lib. 5. de Re Milit. Rom. Dial. 10. *Vegetius* lib. 2. cap. 22. *Claſſicum appellatur quod Buccinatores per cornu canunt.* Ad vigilias quoque Buccina ſignum dedit, teſte *Livio* lib. 7. inde *Propert.* lib. 4. El. 4.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Qui buccina cecinere, Græcis dicti βυκανισταὶ, ut *Dionyſ. Halicar.* ſicut Latinis *Buccinatores*, quod quidem *Varro* à vocis ſimilitudine & cantu dictum vult, quia *Bou Bou*, canunt. *Iſidorus* Buccinam *à voce, quaſi vocinam* derivat, quod Pagani ea vocabantur. Adhibita quippe ad cives convocandos, unde *Propertius* de Romuli temporibus lib. 4. El. 1.

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Inde tranſiit ad paſtores, qui buccina ex bubulo cornu uſi ſunt ad convocandos boves. *Columella* lib. 6. cap. 23. *Id ſemper crepuſculo fieri debet, ut ad ſonum buccinæ pecus, ſi quod in ſylva ſubſtiterit,*

ſtiterit, ſepta repetere conſueſcat. Ita *Propertius* lib. 4. El. 11.

Nunc intra muros paſtoris buccina lenti.
Cantat ……

Inter buccinam bellicam & cornu etiam, quo in prælio uſi ſunt, aliquid fuit diſcriminis. *Valer. Flaccus* lib. 6.

Prælia nunc rauco curant incendere cornu.

Ut Tubas ita & Cornua pro inventis Tyrrhenorum habet *Athenæus* lib. 4. Ab illis *Cornicen* dictus, de quo Inſcriptio ex *Gruter.* pag. 1106.

Q. ATILIVS
RVFVS
CORNICEN
P. Q. X.

Appellata autem ſunt Cornua, juxta *Varronem*, quod olim fierent ex bubulo cornu, quæ poſtea ex ære efficta. Sic *Virgilius* Ænead. lib. 6.


Æreaque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

Et *Statius* Thebaid. lib. 8.

— *Cum*

—Cum jam Mavortia contra
Cornua, jam ſævos fragor æreus
excitat enſes.

Fuere verò reflexa ex ære recurvo, in quem finem *Vegetius* lib. 2. cap. 8. *Tubicines*, inquit, *Cornicines, Buccinatores: qui vel tuba, vel ære recurvo, vel Buccina committere prælium ſolent.* Ubi diſtinctè quid inter ſingula hæc inſtrumenta fuerit differentiæ apparet, unde ϛρογγύλῃ σάλπιγγι σαλπίζειν, *inflexa tuba canere*, apud *Artemidorum*, de Cornu ex ære recurvo accipiendum eſt, qualia non raro in veterum monumentis occurrunt hac forma, ut in Columna Trajana num. 56. ſed illud Tubæ adjunctum, quod ſpecie haſtæ, ſpicula lata habentis, *Ciacconio* impoſuit, ex animadverſione *Jo. Petr. Bellorii*, alii uſui inſerviebat, nimirum ut facilius pondus inſtrumenti ſuſtinerent, & commodius incinerent, quemadmodum in aliis locis expreſſiùs videtur, & præcipuè num. 84. Ejuſdem rei non obſcura veſtigia deprehendo



hendo in Marmore Antiquo, mihi Romæ viſo, cujus delineationem è regione habes. Exſtat in horto domus quondam *Advocati Ronconi* è regione S. Iſidori Hibernenſium & hominem exhibet cum lituo, ad cujus pedes Cornu inflexum, tale ferè ac in Columna Trajana, cum hac inſcriptione:

M. IVLIVS VICTOR
EX COLLEGIO
LITICINVM CORNICINVM.

Talia inflexa ex ære cornua expreſſit, me judice, *Apulejus* lib. 11. Metam. *Ibant & Tibicines dicati magno Serapi: Tibicines qui per obliquum calamum ad aurum porrectum, dextera familiarem templi, Deique modulum frequentabant.* Licet ad aliud genus Tubæ *Scacchius* Myroth. 3. cap. 57. hæc verba *Apuleji* trahat, in quibus duo notat: alterum ſpectat ad formam magnitudinemque Tubæ, quam expreſſit in illis verbis: *obliquum calamum ad aurem porrectum.* Alterum reſpicit muſicalem harmoniam, ad quam illius tubæ uſus erat, quem


M·IVLIVS·VICTOR
EXCOLLEGIOL
ITICINVM·CORNICINVM.

quem ex iis verbis, *dextera familiarem templi Deique modulum frequentabant*, talem elicit *Scacchius*, quaſi dextera extendente vel retrahente tubæ canales, muſicales ſoni ab ea ederentur: in eaque extenſione & retractione Tibicines modularentur. Cæterum quamvis ingenioſam explicationem non rejiciam, ſerius tamen apud me veri fidem merebitur, donec præeuntia antiquorum monumenta tali ſchemate viderim, quod necdum mihi ex veteribus haurire licuit, licet noſtris temporibus illud Tubæ genus exſtare atque in uſu eſſe non ignorem.

Fuit aliud Buccinæ genus incurvum, *Lituus* veteribus dictum, ex *Feſto*, gracilem edens vocem, quo in bello utebantur. Qui eo canebat *Liticen* dictus eſt. *Priſcianus* lib. 1. *Liticen, Liticinis, ex Lituo, quod eſt genus Tubæ minoris.* Unde & ſoni fuit acutioris, quemadmodum apud *Statium*:

Et lituis aures circumpulſantur acutis.

Lucanus lib. 1.

Stri-

— *Stridor lituum clangorque Tubarum.*

Quippe *Scholiaſtes* ad *Horatium* notat, Lituum equitum fuiſſe, ut peditum Tubam. Præterea *Lituus* etiam appellata eſt virga brevis, in parte, qua robuſtior erat, incurva, qua ſacrificiorum adminiſtri uſi ſunt. Sed hujus litui, qui tanquam inſigne auguratus fuit, primus uſus à Romulò fluxiſſe creditur, qui eo regiones direxit tum cum urbem condidit, cujus figuram non uno loco in *Grutero* contemplamur. Ille Romuli lituus, id eſt incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit, quod credimus *Ciceroni* lib. 1. de Divinat. Licet dubitet *Gellius* lib. 5. cap. 8. & quæri poſſe animadvertat, utrum lituus auguralis à Tuba, quæ lituus appellatur, an tuba à lituo augurum lituus dicta ſit, *Utrumque enim*, inquit, *pari forma & pariter incurvum eſt.* Sed ſi, ut quidam putant, tuba, à ſonitu, lituus ap-

appellata eſt, neceſſe concludit ita accipi, ut virga auguralis à tubæ ſimilitudine lituus vocetur. Iſtiuſque vocabuli uſum pro Tuba, ex *Virgilio* confirmat:

Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta.

Paria atque eadem planè de hujus & litui auguralis denominatione habet *Macrobius* Saturn. lib. 6. cap. 8. Ex adunco ære lituum deſcribit *Seneca*, & ſimul ejuſdem materiam cum forma nobis indicat, in Oepido:

Sonuit reflexo claßicum cornu
Lituuſque adunco ſtridulos cantus
Eliſit ære ......

Tranſeo ad aliud genus organi, Tibiam nempe, quam *utricularem* vel *utriculariam* ex conformationis modo appellare licet. Illam deſcriptam reperio in epiſtola ad Dardanum, quæ *Hieronymo* vulgo tribuitur: *Antiquis temporibus fuit chorus quoque ſimplex, pellis cum duabus cicutis æreis, & per primam inſpiratur, ſecunda vocem emit-*

emittit. Ubi *Salmaſius* ita legendum exiſtimat *antiquis temporibus dorus quoque ſimplex pellis*. Nam δορὸς Græcis eſt pellis. Plures poſtea calami ad utrem acceſſere *Naulia* ſive *nablia*, diminutivum à *nabla*, quæ organi ſpecies eſt apud *Suidam*, ad hujus Tibiæ ſignificationem nonnulli trahunt. Scilicet volunt vocabulum Hebraicum, *Nevel* & *Navel*, quod in *Eſaia* legitur & *Amos*, Græca figura *naulon* formare, cujus diminutivum *naulion*; ſed repugnante *Politiano* Miſcell. cap. 14. qui hoc vocabulum Hebraicum prætendit, Græcè *pſalterium* dictum, Latinè *laudatorium*. *Nevel* autem Romanus *Emanuel*, apud *Politian*. Hebraico Commentario in Pſalmos, putat eſſe *utriculariam Tibiam*, videlicet etymon ſecutus, quod ab utre deduci vocabulum illud apud Hebræos videatur.

Hujus Tibiæ forma inde elucet, quod illi ventriculum humanum figuræ ſimilitudine comparent Anatomici. Uſus autem talis fuit, ut quoties ſonus

eliciendus eſſet, deberent Utricularii inflare utrem & retinere manu calamos & preſſum utrem cubito quatere, ita ut calami vibrarentur ex jactatione aſſidua. *Virgilius* in Copa:

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus,
Ebria formoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

In quem lege doctiſſimum *Scaligerum*. Tempore quidem poſteriori *Mantuanus* Poëta Tonium quendam utricularium paganum *ſaccomuſa* ludentem eleganter depingit in Bucolicis:

Et cum multifori Tonius cui Tibia buxo,
Tandem poſt epulas & pocula multicolorem
Ventriculum ſumpſit, buccaſque inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit: ciliiſque levatis
Multotieſque alto flatu è pulmonibus hauſto
Utrem implet, cubito vocem dat Tibia preſſo,

Nunc

Nunc huc nunc illuc digito ſaliente ....
Qui hujuſcemodi organo uſus eſt, Latinis dicitur *Utricularius* quam vocem uſurpat in Nerone *Suetonius* cap. 54. *Sub exitu quidem vitæ palam voverat, ſi ſibi incolumis ſtatus permanſiſſet, proditurum ſe partæ Victoriæ ludis etiam hydraulum & choraulam & utricularium.* Ibi patet utricularium in ludis jam tum Neronis tempore ceciniſſe. Græci illos artifices ἀσκαύλους appellavêre, unde etiam Latinis *Aſcaules*, pro utriculario. Sic *Martiali* lib. 10. ep. 3.

— Credis hoc Priſce
Voce ut loquatur Pſittacus coturnicis?
Et concupiſcat eſſe Canus Aſcaules.

Turnebus Adverſ. lib. 11. cap. 25. apud *Vopiſcum* in Carino, pro *Camptaulæ*, quam vocem minus uſitatam dicit, & à Græcis oriundam ne à Græcis quidem ipſis agnoſci, legit *Aſcaulæ*: mihi quidem, inquit, falſa videtur & irreptitia, legendumque *Aſcaulæ*, ut ſunt *Utricularii.* Sed & mox in eadem vita, pergit *Turnebus*, pithaulas legimus: quorum

armamentum muſicum imitatur, ut quidam cenſent, dolium, ut illorum utriculum. Ita aliorum erat rotundius & tumidius, minus tamen: aliorum oblongius & teretius majuſque inſtrumentum. Ego verò pythaulas eſſe legendum contenderim, ut ſint tibicines qui Pythia cantant.

Pithaules apud veteres is fuit, qui ex πίθῳ, cado ligneo, *Tibiam* inſpirat, quam *Pithaulicam* vocat *Diomedes* lib. 3. In cadis enim impares Tibiæ animatæ hominis ſpiritu, foraminum varietate aut regularum motu ſonitum edidere. In quam ſententiam nonnulli trahunt *Senecam*, ubi inquit: *Quomodo cantantis vox per totum cum quadam diſcutione percurrit ac reſonat, & tam leviter mota tamen circuit non ſine tactu ejus tumultuque quo incluſa eſt*. Nec defuere qui huc reſpexiſſe *Propertium* putaverunt lib. 4. El. 6.

— carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.

Scaliger de Pithaulis olim interpretatus erat hunc verſum, ſed poſtea ſententiam mu-

mutavit, *Beroaldus*, *Cadis*, vino exponit, quod vinum diis libaretur, vel emendat, *Modis*. Neutrum *Paſſeratio* placet, qui hîc, nec ineptè, tibiam Phrygiam ſignificari vult, quia Mygdones, Lydi & Phryges vicini ſunt; atque *Cadi*, urbs Phrygiæ, vel, ut alii volunt, Lydiæ, ut *Strabo* lib. 12. Cæterum Pithaulicæ Tibiæ alii expreſſiùs meminére. *Varro* apud Nonium in Ramices: *Priuſquam in Orcheſtra Pithaules inflet Tibias, domi ſuæ ramices rumpit.* Quippe iis locus etiam in Theatro erat, quod affirmat *Seneca* Ep. 76. de theatro Neapolitanorum: *Et hîc*, inquit, *ingenti ſtudio, quis ſit pithaules bonus, judicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concurſum.* Ideoque Pithaulas centum habuiſſe Carinum memorat *Vopiſcus*. Sed hîc Pithaulas paulo aliter interpretatur *Donatus*, & fuiſſe putat tibicines qui Tibiæ ſingulari ſpecie concinuére, ita ut mulcerent aures, & quaſi audientes perſuaderent, nam πείθω eſt Latinis perſuadeo & in ſententiam meam adduco, & πειθὼ perſuaſio.

Fuére etiam Tibiæ, quæ aliis organorum generibus inſerviebant, ſed illas, quia extraneis vocibus inſonuére peregrinis flatibus completis calamis, ut *Caſſiodor*. lib. 1. ep. 45. ait, ſciens prætereo, qui condixi me tantùm demonſtraturum differentiam inter Tibiam, & reliqua Organa pneumatica, quæ ſpiritu humano excitata ſonum edidére. Habuére tamen Veteres Organa, quæ vento animata exprimebant concentum, quoties digitis attingerentur regulæ cum Tibiis concinentes, de quibus elegans extat Epigramma Juliani Deſertoris in Veter. Epigram. lib. 1. cap. 86. Organa illa ætate Juliani primùm nata vult *Bulengerus*, in quibus variæ & impares Tibiæ follibus inſpiratæ, digitis percutientibus varium ſonum edidére. Quorum uſus hodie ubique ferè viget. Illa denotavit *Manilius*, qui ita, ex emendatione *Scaligeri*, lib. 5.

Hinc venient vocis dotes, Boreæque ſonantis,
Garrula, quæ modulis diverſè Tibia forma,

Et

Et quodcunque manu loquitur, flatu-
que movetur.

His affinia apud Veteres fuére Organa Hydraulica, in uſu valde frequenti, & à Cteſibio inventa, ex *Plinio* lib.6.cap.37. Horum artifices *Hydraulæ* dicti ſunt, quorum meminére *Suetonius*, *Sidonius Apollin. Petronius*, aliique. Hydraulica verò dicta, quod vento, qui aquæ motu creatur, inflata perſonant, teſte *Vitruvio* lib. 10. cap. 1. & 13.

Atque hæc hactenus de Tibiis Veterum hiſque affinibus Organis raptim in chartam conjeci, quantum quidem valuit calamus, Antiquitate & Vetuſtatis memoria ſubnixus. Plura fateor, prætèrii, quæ addi potuiſſent, ut excreſceret Volumen. Sed memor ſum aurei illius dicti de Capheſia Tibicine memoriæ proditi; qui diſcipulum ſuum feriens, quod contentiùs inflaſſet tibias, addidit elogium ſane divinum: οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα.

FINIS.

INDEX
Rerum & Verborum.

AMatorum Tibia, pag. 236, 237.
Ambubijæ. 132, 333.
Anulus Tibicinum. 342, 343.
Apertæ Tibiæ, quænam. 58, 114.
Arabicus Tibicen. 133.
Armata ſaltatio. 241.
Ars, Tibiarum cantus. 94.
Artifices Tibicines. 94, 318.
Arundo ad Tibias. 30, 31.
Aſcaules. 411.
Aſinorum oſſa pro Tibiis. 25.
Aſſa Tibia. 307, 308.
Attinis luctus. 202.
Avena, pro Tibia. 33, 34.
Auleticus calamus. 26.
αὐλὸς, Tibia. 13.
αὐλὸς, pro cuſpidis parte. *ibid.*
Aura Tibialis. 96.
in BEllo Tibiarum uſus apud
  Amazonas. 175.
  Lacedæmonios 172.
  Lydos. 175.
  Romanos *ibid.*
Berecynthia Tibia. 72.
Biforis Tibiæ peculiaris forma. 50, 51.
βόμβυκες pars Tibiæ. 62.
  ipſæ Tibiæ. 80.
Buccina. 399, 400, 401.
Buccinatores. 402.
Buxus pro Tibia. 12, 36.
CAlamos pro Tibiis cædendi modus. 31.
Calamus à calendo. *ibid.*
Calamus pro Tibia. 31, 32.
Calcei Tibicinum. 361.
Camptaula. 68, 69, 77, 78, 79.
Canere, i. e Tibias inflare, 93, 94.
Capiſtrati figura. 353.
Capiſtrum Chirurgorum. 349.
  Damnatorum. 352.
Capiſtrum Tibicinum. 344, 355, 356.
Celeuſma ad Tibiam. 289.
Ceraulæ, Tibicines. 73.
Cervi Tibiis mulcentur. 295.
Cervina oſſa ad Tibias 40.
Choraules. 81. & ſeq.
Cicuta pro Tibia. 34.
Collegium Æneatorum. 320.
  Liticinum. 319.
  Tibicinum 318.
Colonomus, i. e. cantus diſſonus. 126.
Cometa Tibiarum ſpecie. 301.
Concha pro Tuba. 395.
Concionatoria Tibia. 259.
Con-

Condylus, digitorum curvatura. 104.
in Conſecratione Tibicen. 198.
Conviviales Tibiæ. 242. & ſeq.
Convivium. *ibid.*
Coquebant ad Tibiam Tyrrheni. 247.
Coqui. 248.
Cornei paxilli in Tibiis. 58.
Cornicen. 401.
Cornu Tibiæ materia. 37.
Tibiæ pars. 44, 45, 46.
ad ſonus gravitatem. 49.
Cornua ex ære recurvo. 401, 402.
Coronati Tibicines. 243.
Corybantes. 145, 146, 200.
Curetes, quinam. *ibid.*
Quare bacchantes deſcribuntur. 146.
Curva Tibia. 22, 43, 44.
DElphinus Tibiæ amans. 300.
Diaulion. 220.
Diſcapedinare manus. 104.
ELegia luctuoſum carmen. 271.
Elymus pars Tibiæ. 63.
ipſa Tibia. 64, 72.
Equi Tibiarum cantu afficiuntur. 293.
FAbri Tibiarum. 367.
Fabulones. 226.
Fiſſa Tibia, pro perforata. 55.
Fiſtula diverſa à Tibia. 370.
Unde dicta. 372.
Quot cannis compacta. 379.
Fiſtulæ materia. 373, 374.
Connexionis modus. 375, 376, & ſeq.
Inventio. 381, 382.
Flagellati ad Tibiam ſervi. 153.
Flator Tibicen. 92, 316.
Flexores cantus. 78.
Foramen Tibiæ, pro ipſa Tibia. 60.
Foramina Tibiarum. 53. & ſeq.
Φωτίγγια. 37.
Funebris Tibia. 268. & ſeq.
Φυσαλίδες. 13.
Γίγγρας ſaltationis ſpecies 242.
Gingriator Tibicen. 315.
Ginglarus, parva Tibia 67. 75.
Glottocomeium. 344.
in Græcia Tibiarum uſus: 127, 130.
HInnulorum oſſa, qualia Tibiis apta. 39.
Hymenæus. 234, 235.
Hydraula. 415.
Hydraulica organa. *ibid.*
INventores Tibiarum. 14. & ſeq.
Iugere, i. e. ſonare. 93.
è LAuri ramo Tibia. 37.
Lingulæ Tibiarum. 61.
Ad flectendos ſonos. 62, 114.
Lituus. 406, 407.
Lotinæ Tibiæ. 37, 70.
Lotos, pro Tibia. 11.
Lucerna lepida. 227, & ſeq.
Lu-

Ludius. 224.
Lymphatos reddit Tibia. 141, & ſeq.
MAnuum miniſterium in cantu Tibiarum. 100.
Marſyas flumen. 340.
Marſyas inventor Tibiarum. 17.
Ejus cum Apolline certamen. 337. & ſeq.
Medicorum dignitas apud Romanos. 159.
Megaleſia. 208.
Meſochorus. 364.
Minerva Tibias invenit,& abjecit. 17. & ſeq.
Miſturæ Medicamentorum. 160.
Modi Tibiarum,quot.118. & ſeq.
Inter Modos & numeros differentia. 117.
Monaulos. 64, 67, 68.
Monumentarii ceraulæ. 277.
Morbi curati Tibia. 162.
ad Mores corrigendos efficax Tibia. 139, 155.
Muſica ad ſanitatem confert. 162.
Muſicæ quot genera. 2, 3.
Mygdonia Tibia. 73.
NAbla. 409.
Nænia ad Tibiam.266, 271, 284.
Unde dicta. 273.
Nautica Tibia. 288.
Nomi muſici unde dicti. 119.
Nuptiæ. 229
Nuptialis Tibia. 232,235.
ὄλμος pars Tibiæ. 62.
ORchumenius lacus, 27. 28.
Organa. 414, 415.
Organicæ Muſices genera. 4.
Orgia Bacchi. 210.
Orphei & Amphionis fabula unde orta. 140.
Oſcula jactabant Tibicines. 334, 335.
Oſleæ Tibiæ. 39.
PAguri Tibiæ cantu capiuntur. 299.
Pandorium. 386, 387.
Pantomimus. 221.
Paſtinaca marina Tibiis delectatur. 299.
Paxilli cornei Tibiar. foraminibus adaptati. 53.
Eorum forma. 59.
Perforata Tibia. 54, 55.
Pharmacopolæ, circumforanei. 159.
Phonaſcus. 71, 261.
Phrygius cantus. 143, 203.
Pithaules. 412.
Pithaulica Tibia. *ibid.*
Plagiaulos. 42, 64, 70, 71.
Planipedes. 226.
Præcentio in modis Tibiar. 125, 126.
Præfica. 266, 273.
Procurator Fabrorum. 321.
Tibicinum. *ibid.*
Pythagorei Tibiis animi ferociam molliebant. 139, 149.
QUinquatrus minuſculæ, Tibicinum feſtum. 322.
ῥαπαύλης. 69.

Sal-

Saltatrices. 224.
Sambuca, materia Tibiæ. 37.
Scabella Tibicinum. 362. & ſeq.
Scabellorum crepitus. *ibid.*
Semiviri Sacerdotes. 145.
Servi an fuerint Tibicines. 330.
Sicinniſtæ. 277.
Siticines. *ibid.*
Sonatores, Tibicines. 106.
Sonus varius Tibiar. 105. & ſeq.
Spondæus modus. 147.
Spondaulæ. *ibid.*
Spondiales. *ibid.*
Stipem colligere. 205.
Stipula pro Tibia. 33.
Subulo, Tibicen. 316.
Symphonia. 115. 311.
Symphoniacæ Tibiæ. 87.
Symphoniaci. 252, 288, 331.
Synaulia. 310.
Syntonator. 260.
THebani Tibiarum cantu clari. 130.
Tibiæ denominatio & ſynonyma. 9, 10, 11, 12, 13.
Forma. 41. & ſeq.
Inventor. 14. & ſeq.
Materia. 25. & ſeq.
Partes. 53.
Tibiarum modi numerique 115. & ſeq.
Tibiarum ſpecies & diſcrimina. 63. & ſeq. Uti ſunt Tibiæ
Ægyptiæ. 64, 65, 74.
Choriaæ. 75, 81.
Cithariſteriæ. 76.
Dextræ & ſiniſtræ. 88.
Eburneæ. 34, 35.
Gingrinæ. 74.
Longæ. 80, 196.
Magadis. 76.
Milvinæ. 74.
Pares & impares. 87.
Perfectæ. 75, 79.
Phrygiæ. 46, 72.
Præcentoriæ. 74.
Puellatoriæ. *ibid.*
Pueriles. 75.
Pythicæ. *ibid.*
Scytaliæ. 72, 75.
Serranæ. 87, 90.
Spondiacæ. 75, 80, 81.
Thurariæ. 74.
Vaſcæ. 70, 74.
Virginales. 75, 76.
Viriles. 76.
Tibiarum uſus apud
Carmanos. 133.
Græcos. 127, 130.
Romanos, 130.
Syros & Arabas. 132.
Thebanos. 131.
Turcas. 133.
Tibiarum uſus quando cœpit & quando deſiit. 134, 135. earum uſus. Ad animos afficiendos. 105. & ſeq.
in Bello. 171.
Carminibus recitandis. 261.
Choreis. 198, 239.
Comœdiis. 216, 217.
Concionibus. 256.
Conviviis. 242. & ſeq. 262.
Feſtis publicis. 206.
Bacchi. 210.

Ju-

Junonis. 207.
Idææ Matris. 208.
Minervæ. *ibid.*
Funeribus. 267. & ſeq.
Heroum laudibus. 262.
Hymnis Deorum. 177.
Ludis. 211, 212, 213, 214, 215.
Morborum curatione 158.
Comitiali morbo. 163.
Dolore iſchiadico. *ibid.*
Mania & rabie. 166.
Peſtilentia. *ibid.*
Tarantulæ morſibus. 164, 165.
Nuptiis. 229. & ſeq.
Regum inauguratione. 167.
Sacrificiis. 180, 187. & ſeq.
Saltatione Pantomimi. 221.
Ludii. 224.
Planipedis 226.
Triremibus, 286. & ſeq.
Triumphis. 169.
Tibicen unde dictus. 314, 315.
Tibicen, pro Sacerdote. 316.
Tibicinæ. 333.
Tibicines in æde Jovis veſcebantur. 323.
Tibicines in ædificiis. 11, 317.
Tibicinium, quid. 320.
Tibini modi. 115.
de Tibiis qui ſcripſerunt. 7, 8.
Tonarion, Tibia. 259.
Tuba in conviviis. 241. 251.
Funeribus. 285.
Sacrificiis. 397.
Unde dicta. 389.
Ejus forma & ſpecies. 391.
Tibicen. 398.
VEſtitus Tibicinum. 356, 357.
Vituli cornu Tibiæ additum. 46.
Vox, pro ſono Tibiæ. 105.
Uſus Tibiarum Varius. 127.
Zygiæ Tibiæ. 232.


FINIS.

ERRATA.

P. 12. l. 12. & 17. leg. *Idæam* & *Idææ.*
P. 91. l. 19. & p. 124. l. *ult.* leg. *Bulengero* & *Bulengerum.*

2:46)

EX LIBRIS



FREDERICK SELCH